אבני חפץ

CHRESTOMATHIA

RABBINICA ET CHALDAICA

CUM

NOTIS GRAMMATICIS, HISTORICIS, THEOLOGICIS,

GLOSSARIO

ET

LEXICO ABBREVIATURARUM,

QUÆ IN HEBRÆORUM SCRIPTIS PASSIM OCCURRUNT,

AUCTORE

JOANNE THEODORO BEELEN,

CAN. HON. ECCL. CATHEDR. LEOD., S. TH. DOCT., IN UNIV. CATH. LOVAN. S. SCRIPT. ET LINGG. ORIENTALL. PROF. ORD.

VOL. II,

NOTAS MISCELLANEAS COMPLECTENS.

PARS PRIOR,

NOTÆ IN SELECTA RABBINICA.

LOVANII

TYPIS VANLINTHOUT ET VANDENZANDE,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHORUM.

1841.

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO

CORNELIO RICHARDO ANTONIO

VAN BOMMEL,

EPISCOPO LEODIENSI,

SUO ADOLESCENTIÆ ET JUVENTUTIS

CUSTODI, RECTORI, PRÆCEPTORI

DOCTO, PRUDENTI, PIO, VIGILI,

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATISSIMO ANIMO.

D. D. D.

AUCTOR.

NOTÆ MISCELLANEÆ.

IN CAP. I.

ACUTE ET SAPIENTER DICTA.

—

Pag. 1. v. 1.

אחר ש׳ pro אחר אשר *postquam.* ש pro אשר non uno modo voci quacum in unam coalescit præfigitur. Itaque vocabulis incipientibus a litteris quæ *dagesh* forte recipiunt, שֶׁ præfigitur cum *segol*, litteræ sequenti imposito *dagesh* forti. v. g. Ps. 124. 6. (Vulg. 123.) ברוך יהוה שֶׁלֹּא נְתָנָנוּ וגו׳ *Benedictus Deus qui non dedit nos* etc. Ter tamen videas et cum *patach* præfixum; sc. bis Jud. 5. 7. עַד שַׁקַּמְתִּי דְּבוֹרָה, שַׁקַּמְתִּי אֵם בישראל *donec surrexi Debora, surrexi mater in Israel;* tertiò Cant. Cantic. 1. 7. שַׁלָּמָה אהיה וגו *nam quare essem* etc. Utrum Gen. VI. 3. בְּשַׁגָּם sit explicandum per באשר גם, adeòque an sit hic quartus locus ubi ש cum *patach* præficiatur, disputabimus infra, eâdemque operâ videbimus an

sit nec-ne deserenda Vulgatæ hujus loci interpretatio. Litteris gutturalibus et ר, quæcumque earum sit vocalis aut *scheva*, ש præfigitur cum *segol*, nec, quia gutturalis littera aut ר *dagesh* forte non recipiunt, hic, ut alias ferè fieri solet, compensatio fit producendo vocalem litteræ præcedentis. Exempla : שֶׁאֵל *cui Deus* שֶׁהָיָה *qui fuit*, שֶׁאֲנִי *quam ego*. (1) » —

Eamdem τὸ ש pro אשר punctuandi rationem sequitur Synagoga, ut videre est ex *euchologiis* quibus in gratiam plebis puncta vocalia adscripta sunt. Cf. Altingii fundam. punctuat.

IBID.

מעותיו a מְעָא quod Chaldaicum vocabulum est et *obolum* designat. מעא i. q. Hebræis גֵּרָה; utrumque docet (2) auctor lexici cui titulus : מעריך

(1) Invenias tamen Jud. 6, 17. שֶׁאַתָּה *quod tu*; et Eccl. 2, 22. ש præfixo cum schevate : שְׁהֵם *quod illi*.

(2) מעא. פ׳ מטבע שנקראת גרה. h. e. מעא notat monetam illam quam גרה vocant. גרה מטבע מה עשרים גרה השקל; h. e. גרה monetæ species aliqua; viginti *gera* æquivalent siclo. — Præclari hujus lexici auctor est Philippus Aquinas ex Judæo Ecclesiæ Romano-Catholicæ filius observantissimus, Lutetiæ Hebraicæ linguæ Professor doctissimus. Cujus opus grammaticum debitis laudibus extulere scriptores coætanei Dionysius Petavius, Garnierius, Joh. Morinus, alii. Hebraica lingua perpetuò utitur Aquinas in explicandis vocabulorum significationibus; quare ejusdem usus non nisi provectioribus concessus est. Titulum, præter Hebraicum, lexico

המערכות. At vocabuli מעא forma pluralis apud Rabbinos *nummos* sive *pecuniam* universè notat; exemplo sit sententia quam citat Buxtorf Lexic. Chald. Talm. et Rabb. i. h. v. לעולם ישלש אדם מעותיו: שליש תחת ידו , שליש בקרקע. שליש בפרקמטיא i. e. semper homo (*tertiet*) in tres partes dividat obolos suos : tertiam in fundum, tertiam in negotiationem, tertiam retineat in manu sua. — (פרקמטיא est vocabulum græcum *πραγματεια*).

Pag. 1. v. 2.

בשחוק הקוביה *alearum ludo*. Veruntamen nota formam קוביה quam hic exhibet Plantavitius (1), incognitam esse Buxtorfio et Aquinati;

suo imposuit Latinum hunc satis prolixum : Dictionarium absolutissimum complectens alphabetico ordine et facili methodo omnes voces Hebræas, Chaldæas, Talmudico-Rabbinicas, quæ in reliquis, quæ uspiam sunt, Dictionariis extant, innumerasque alias quæ a nullo lexicographo sive Christiano sive Judæo hactenus observatæ sunt : variarum præterea Legis ceremoniarum, sententiarum ac iocorum difficiliorum in Rabbinorum et Cabalistarum libris passim occurrentium explicationem, necnon compendia scribendi, seu abbreviaturas omnes Hebræorum. Lutetiæ Parisiorum ex Typographia Ant. Vitray MDCXXIX.

(1) Joannis Plantavitii Pausani Lodovensium Episcopi et S. Martini Ruricurlani Bellovacensis abbatis Florilegium Rabbinicum. Lodovæ. 1645. Ex quo libro magnam partem descripsimus selecta rabbinica quæ in chrestomathiæ nostræ hoc et sequenti capite leguntur. Fuit Plantavitius Hebraicarum litterarum peritissimus, deque iisdem optimè meruit; ut ægrè feras viri doctissimi mentionem nullam factam esse apud Hetzelium. (*Geschichte der Hebräischen sprache und Litteratur.* Halle 1776). Edidit Plan-

apud quos tantum invenias קוּבְיָא, vel pluraliter קוּבְיָא forma Chaldaica. Apud Rabbinos : המשחק בקוּבְיָא *ludens aleis*. Fortasse et in nostro loco legendum בשחוק הַקּוּבְיָא *ludo alearum*. Nihil certè obstat forma Chaldaica Hebraicis permixta ; nam Rabbini etiam puriores tametsi vocabulis hebraicis plerumque utantur, non pauca tamen etiam usurpantur a Chaldæâ, imo et Græcâ, Latinâ aliisque linguis mutuata. Ad vocabuli קוביא originem quod spectat, ex Græco κυβεια vel κυβος derivatum illud merito censet Buxtorf. i. h. v. — Cf. etiam i. h. v. opus iis qui Rabbinicis litteris operam dant utilissimum, quod inscribitur : עיר דוד sive de convenientia vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis et quibusdam aliis linguis Europæis, auctore David Cohen de Lara. Amstelodami. a. 1688. — Vocabula exotica explicat auctor Hebraicè, Latinè et Hispanicè.

tavitius præter Florilegium Rabbinicum de quo mox dicebamus, Floriiegium aiiud Lodovæ (1645.) quod Biblicum inscripsit. Complectitur id omnes utriusque Testamenti sententias Hebraicè et Græcè cum versione Latina, et brevi juxta literalem sensum commentario iiiustratas. Idem auctor est memorandi operis cui titulus : Tbesaurus synonymicus bebr. chaid. rabbinicus. Lodovæ 1644. Nec prætermittenda ejusdem Bibliotheca Rabbinica, quam subjecit Florilegio suo Rabbinico; ea Buxtorfianâ Bibliotbecâ multo ampiior et accnratior est; utramque tamen superavit Bibliotheca magna Rabbinica Bartoloccii Ord. Cistercicn. monachi (ed. Romæ ex Typographia sacræ Congregationis de Propaganda fide, anno 1675—93. 4 vol. in Fol.), cui plurimum debet Jo. Christopborus Wolfius, qui post Bartoloccium edidit Bibliothecam Hebræam. Hamburgi et Lipsiæ anno 1715. —

Pag. 1. v. 3.

אחד *quidam, aliquis.* Est articulus indefinitus, ut nostratium : *een.* Sic Galli : *un de ses amis.* Eo sensu אחד primò occurrit Judic. XXIII. 2. Quare non placet quod Jo. Fr. Schroeder asserit (1), apud *posteriores* tantum scriptores sacros το אחד venire pro articulo indefinito illo quem diximus. Ex hoc Hebraismo, si ita vocare lubet, explices Matth. XIX. 16. = Et ecce unus accedens, ait illi etc. : εἷς προσελθων ειπεν αυτῳ. κ. τ. λ.

Verum εἷς τις quod legitur Marc. XIV. 51, και εἷς τις νεανίσκος ηκολυθησεν αυτῳ κ. τ. λ. nullatenus Hebraismum dicas; nam Græcorum est ita loqui si velint indeterminate *aliquem, quemdam* exprimere. Tamen apud seriores Græcos, teste Winero Lexic. Hebr. in vocab. אחד, absque τις simpliter εἱς invenias ad idem significandum.

Pag. 2. v. 1.

בחור אחד שבוי nominativus absolutus est; de hac syntaxi legesis Gesenium (Lehrgeb. § 189. *b.*) Glaire (Gramm. Hebr. et Chald. § 475. 2. ed.) alios. Nollem tamen in hac syntaxi agnoscere Hebraismum; nam et aliis linguis Semiticis ea com-

(1) Nova scriptorum V. T. Sacrorum janua.... auctore Dr. Jo. Fr. Schroeder. Lipsiæ 1834. In Lib. 1. Sam. C. I. 1.

munis est (Cf. Sacy Grammaire Arabe T. 2. p. 99 et 202. ed. 2. Paris 1831. Andreæ Theophili Hofmanni Grammaticæ Syriacæ Lib. III. Halæ 1827. § 119. p. 309. seqq. — Institutiones Linguæ Samaritanæ ex antiquissimis monumentis erutæ et digestæ... quibus accedit Chrestomathia Samaritana cum Glossario a F. Uhlemanno. Lipsiæ. 1837. P. 1. § 86. p. 208.); imo et apud Græcos scriptores profanos ejusmodi syntaxis occurrit (vid. Gesen. ib. *b.*); nec cæteris populis occidentalibus eadem prorsus inusitata est. Idque mirum videri non debet, si attendas omninò hoc naturæ accommodatum esse, ut primo statim orationis principio designemus rem aut personam de qua sermo futurus est. —

Cæterum hujus syntaxis si ratio habeatur nihil explicatius quam sensus verborum Lucæ XXI. 6. alias subobscuriorum. Ταῦτα ἃ θεωρεῖτε, ἐλεύσονται ἡμέραι, εν αἷς ὐκ ἀφεθήσεται λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς ὐ καταλυθήσεται. Vulg. : Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Sensus : eorum quæ videtis, venient dies, in quibus etc. — Cf. Matth. XXIV. 2.

Pag. 2 .v. 2.

שהיה ראה להעלות ערכו *qui in animo habebat* (cum hac τῦ ראה significatione cf. Latinorum : rem *vel* ad rem spectare) *eum emere.* Verbotenus : *educere* (puta ex crumena) vel *offerre pretium ejus*; quo sensu vocabulum ערך in Levitici c. 27

passim occurrit. Itaque non placet interpretatio quam alicubi vidi, quæque verba להעלות ערכו in loco nostro sic reddebat : *ut pretium ejus augeret.*

Pag. 2. v. 9.

על צד הכרח. *propter necessitatem.* Vocabulum צד pluribus inservit phrasibus Rabbinicis quas hic notare operæ pretium duco, quia ex iis veluti speciminibus aliarum similium facilior erit intelligentia. Itaque a צד quod proprie *latus* notat, sequentes notentur locutiones: מִצִּדּוֹ (a latere ejus) ex parte ejus, ejus nomine. Cf. Gall. *de sa part.* מִצַּד ratione, propter, eo quod. על כל צד ex omni latere, ab omni parte, omnino. בְּצַד (in latere) juxta; בְּצִדְּךָ juxta te. באֵיזֶה צד modo quodam, quodam modo, quomodocumque. כְּצַד sicut. לְצַד versus; לצד השמים versus cœlum, quod Exodi IX. 22. effertur : על השמים Tum צְדָדִים latera, modi. צְדָדִי modalis, modificatus; מִשְׁפָּט צְדָדִי enunciatio modificata vel modalis, apud Logicos. Videatur Buxtorfii lexicon majus; Drusius, de Particulis Chaldaicis, Syriacis, Talmudicis et Rabbinicis liber singularis; et qui ante hos scripsit eruditissimus Gilbertus Genebrardus Theologus

Parisiensis in sua Isagoge ad legenda et intelligenda Hebræorum et orientalium sine punctis scripta. — Opusculum hoc utilissimum, ac in eo genere litterarum primum, nisi fallor, dedicatum est Sixto Quinto Pontifici maximo. In epistola dedicatoria de litterarum Orientalium studiis hoc legere est Genebrardi et aliorum judicium : *cessura ea Ecclesiæ utilitati, veterum interpretum splendori, ac Vulgatæ editionis illustrationi.* —

Pag. 2. v. 10.

חסיד אחד. Paulo difficilior quam præcedentium hujus narrationis phrasis est et sententia obscurior; quare non abs re erit hic transcribere interpretationem Latinam quam in suo Florilegio huic loco subjecit Plantavitius. Est autem sequens :

« Vir quidam pius omnibus hominibus honorem exhibere solebat. Rogatus autem, cur id faceret, respondit se ideò omnes omninò homines honore afficere, quod neminem cerneret, qui non haberet supra se excellentiam (ratione cujus a se coli deberet). Si enim erat sapiens aut bonis moribus instructus, aiebat illius præstantiam manifestiorem esse (quam ut quis dubitare posset cur illum colcret). Si erat fortior, aut statura procerior, aut sanior (firmiore valetudine), aut locupletior seipso, cogitabat illum esse magis unitum Deo (1),

(1) Interpres prætermisit vocabulum יתברך *Benedicatur ei*, *laudetur*, quod Dei nomini subjici solet apud Rabbinos.

quandoquidem meliorem sortem nactus esset ab Eo quam ipse. Si erat minor ætate seipso, cogitabat iniquitates illius pauciores esse suis. Si vero senior, cogitabat illum plura merita haberescipso(1). Si pauper aut ægrotus, cogitabat illum majorem occasionem habere excusandi se, quòd ob paupertatem vel morbum ejus cultui divino, et obsequiis proximo debitis non satisfecisset, quam ipse habere posset. Si seipso indoctior, cogitabat illum magnam excusandi materiam habere super iniquitates suas, quòd eas per errorem admisisset. Si denique seipso infirmior, aut statura brevior, aiebat in illo minus esse materiæ, atque adeò minus se ob illam gloriari debere (2). »

Pag. 5. v. 2.

לאמר. Ita Plantivitius quem hic sumus secuti; ambigo tamen an לאמר rectè cum א scribatur; certè non recordor me Infinitivum hunc Rabbinicum aliter quam cum ו (לומר) scriptum umquam vidisse. Cæterùm לומר est Infinit. verbi אמר cum præp. ל, qui in S. Codice semper est

(1) Legito מְרֻבִּים Partic. Pual .a רבה; at scribendum fuisset מרבות; quocirca scias solennem esse Rabbinis anomaliam generis.

(2) An non melius sic reddidisset Plantavitius: Aiebat in illo minus esse earum rerum quæ expeti solent; nec fore adeò ut illis (staturâ procerâ et valetudine corporis, quibus caret) superbiat.

לֵאמֹור = לֵאמֹור. Obiter hic nota phrases Rabbinicas: כְּלוֹמַר *secundum dicere* = quasi dicerem, diceremus, diceret, etc. — רוֹצֶה לוֹמַר *vult dicere*, quod tamen per compendium ferè scriptum invenias: ר״ל; אֶפְשַׁר לוֹמַר *dici posset*, etc.

Pag. 8. v. 3.

כלום חסר לבית המלך? h. e. verbotenus: *quidquam (-ne) deest palatio regis (ut non statim convivium strui possit)?* — כלום יש סעודה בלא טורח? *quid?* (num forte) *convivium paratur absque multo labore?* Dessauer in suo: לשון רבנן (Leschon Rabbanan) *oder gedrängtes, volstandiges aramäisch-chaldäisch-deutsches Handwörterbuch* (Erlangen. 1838) vocabulum כלום Germanicè reddit: *etwa, vielleicht*; id non satis rectè, meâ quidem sententiâ. כלום notat *aliquid, quidquam.* Ita Aquinas in suo lexico quod inscribitur מערך המערכות Pag. רמג i. h. v.

כְּלוּם. ר״ל מאומה; כמו: לא נחשב לכלום, פ׳ למאומה.

h. e. כלום *significat*: aliquid, quidquam, *ut*: *non reputatur ad quidquam = nihili reputatur.* Porrò (absque particulâ negativâ aliquâ) כלום sæpissimè invenias in sensu interrogativo eo, quo v. g. Latinorum *quid?* interrogationi inservit, ubi quis negare vult quod interrogat. Quam *τὸ* כלום

significationem ulterius demonstrare juvat, dando bina exempla, quæ occurrunt in parabolâ satis festivâ, legendâ in Talmude. Cod. Sanhedrin c. XII (in Gemarâ.) Ex quâ simul colliges antiquam Synagogæ doctrinam de corpore simul cum animâ hominis transgressionum pœnas post mortem luituris; nam in hunc finem parabola quam citaturus sum ibidem exponitur.

אמר לֵיהּ אנטונינוס לר׳: גוף ונשמה יכולין לפטור עצמן מן הדין. כֵּיצַד? גוף אומר: נשמה חטאה; שֶׁמִּיּוֹם שפירשה ממני, הריני מוּטָל כאבן דוּמָם מוטל בקבר. ונשמה אומרת: גוף חטא, שמיום שפרשתי ממנו, הריני בְּאֲוִיר כציפור. א׳ ליה: אמשול לך משל. למה הדבר דומ׳? למלך בשר ודם שהיה לו פרדס נאה, והיה בו בכורות נאות. והושיב בו שני שומרים, אחד חֲגִּיר, ואחד סוּמֵא. אמר ליה חגיר לסומא: בכורות נאות אני רואה בפרדס; בא והרכיבני, ונביאם לאכלם. רכב חגיר על גבי סומא והביאום ואכלום. לימים בא בעל הפרדס. אמר להם בכורות נאות הֵיכָן הם? א׳ לי׳ סומא: כלום יש לי עינים לראות? אמר ליה חגיר: כלום יש לי רגלים להלך בהם? מה עשה? הרכיב

חגיר על גבי סומא, ודן אותם כאחד. אף הקב"ה מביא את הנשמה, וזורקה בעוף, ודן אותם כאחד.

Quod ita verbotenus reddo, quantum quidem per Latini sermonis indolem licet. « Dixit ei Antoninus (sc.) Rabbi Jehudæ : corpus et anima possunt liberare sese a condemnatione. Quomodo? corpus dicit : anima peccavit; nam a tempore quo separavit se a me, ecce ego abjectus (1) sicut lapis mutus projectus (jaceo) in sepulcro. Anima vero dicit : corpus peccavit; nam a tempore quo separavit se a me, ecce ego in aere sicut avis (volito). Dixit illi : proponam tibi parabolam. Cuinam (rei) res hæc similis est? regi carnis et sanguinis (mortali cuidam) cui erat hortus amœnus, erantque in eo præcoces (fructus) pulchri. Collocavitque in eo duos custodes, unum claudum, et unum cæcum. Dixit illi, claudus cæco : præcoces (fructus) pulchros ego video in horto; veni et fac me equitare (in dorso tuo) et adferamus eos ad manducandum. Itaque eques insedit claudus super dorsum cæci, et attulerunt eos et manducaverunt. Post dies (aliquot) venit dominus horti illius. Qui dixit illis : præcoces (fructus) pulchri ubinam illi (sunt)? Respondit illi cæcus : *quid?* sunt (-ne) mihi oculi ad videndum? respondit illi claudus : *quid?* sunt (-ne) mihi pedes ad eundum (iis)? Quid fecit (Dominus)? equitem imposuit claudum super dorsum cæci, et judicavit

(1) מוטל Particip. Pual a טול.

illos sicut unum (simul). Etiam Sanctus ille, benedicatur ei, adducet animam et sparget eam in corpus, et judicabit ea sicut unum (simul). »

Pag. 8. v. 4.

פיקחין. Universè hic nota sequentia : vocalia puncta non habent expressa Rabbinorum libri, præter paucos qui in rudiorum gratiam conscribi solent. Qui defectus analogiâ, usu et peritiâ Linguæ sanctæ facilè suppletur; verumtamen ubi difficilior conjectura posset esse, tribus litteris אוי quas אִמּוֹת הַקְּרִיאָה *matres lectionis* vocant, lectorem juvare solent.

Itaque I. א notat *kametz*. v. g. pro גָּנָי turpitudo apud Rabbinos invenias גנאי; sic pro פָּדָם *redemit eos* legas פדאם, in quibus א vocalem *kametz* seu *a* longum compensat. א etiam *patach* notat, ut זכאי *purus* pro זַכַּי.

II. *Jod* (י) designat *chirek* (quod frequens in Piel ubi tunc *jod* nota τῆ *chirek* simul *dagesh* prodit), *tsere*, *segol*, et in Talmude aliquando *scheva* tam compositum quam simplex.

1° *Chirek*, ut פיקחין pro פִּקְּחִין; תפילה pro תְּפִלָּה; בישר pro בִּשֵּׂר; איבד pro אִבֵּד.

2° *Tsere*, ut פירוש *explicatio*, pro פֵּרוּשׁ; אילי *ad me* pro אֵלַי; שיני *secundus*, pro שֵׁנִי;

sed hoc rarius. At vero ה suffixum 3. pers. sing. Chald. constanter scribitur יה per *jod*, ut : ביה *in eo*, pro בֵּהּ ; בריה *filius ejus*, pro בְּרֵהּ et sic perpetuò ad distinguendum affixum fæmininum בְּרַהּ *filius ejus* (feminæ).

3° *Segol*, sed hæc vocalis rarius per *jod* exprimitur; ut : איפשר *possibile* pro אֶפְשַׁר.

4° *Scheva* simplex, ut : לימינות *in hæresin* pro לְמִינוּת.

5° *Scheva* compositum, ut : אינשין *homines* pro אֲנָשִׁין.

III. Littera ו indicat *cholem*, *kibbutz* et *kametz-chatouph*. —

1° *Cholem*, ut : לקרוא *vocare* pro לִקְרֹא.

2° *Kibbutz*, ut : כולם *omnes illi* pro כֻּלָּם. — כהונה *sacerdotium* pro כְּהֻנָּה.

3° *Kametz-chatouph*, ut : לפותרו *ad explicandum illud*, pro לְפָתְרוֹ. —

Vid. G. Othonis Synopsin institut. Rabbinic. et C. Cellarii Rabbinismum. Confer hic etiam vol. 1. P. 1. p. 52 notam ad v. 4.

Obiter hic, quandoquidem sermo fuit de *matribus lectionis*, notare juvat ex rationalistarum grege non deesse quibus *matrum lectionis* usus frequens in libris Paralipomenon certissimum argumentum est, quo probent, (pessimo certe consilio), eorum librorum digestionem incidere in

Seleucidarum vel Machabæorum demum ætatem. Frequentior, aiunt, est usus *scriptionis plenæ* in Chronicorum libris, quam in libris ante exilium exaratis; factumque id, ita asserunt (1), in gratiam rudiorum a Babylonicâ captivitate reducum, ut eis hac ratione facilior esset vocabulorum intelligentia. Audio; et jam si colligere velint ex frequentiore illo *matrum lectionis* usu in his libris conspicuo, eosdem non ante sed post exilium esse exaratos, equidem non refragabor; sed non ita adversarii, quibus placet indè conficere non nisi *multo tempore post exilium*, Seleucidarum puta vel Machabæorum ætate eos libros esse exaratos. Ita-ne vero? Scilicet opus fuerit scriptione plenâ secundo ante Christum natum sæculo, non opus fuit quinto? probationem desidero. Quamquam ne hoc quidem probatum est, causam introductæ *scriptionis plenæ* eam esse quam supponunt adversarii. Quid si *scriptio plena* sit peculiare quid non alicui ætati sed alicui scriptori (2)? Certè in

(1) Vide Bertholdt. Einleit. 3. 13. p. 982.

(2) Ad hanc sententiam propendet F. C. Movers. *Kritische Untersuchungen über die biblische Chronik. Ein Beitrag zur Einleitung in das alte Testament von F. C. Movers Pfarrer zu Berkum bei Bonn.* — Bonn 1834. En ejus verba : p. 43. *Beispiele* (de scriptione plena) *geben schon Hosea und Amos* (qui vixere Sæc. VIII Ante C. N.) *in denen, weil sie sich dem Volksidiom anschlieszen, mehr als in manchen spätern Schriften die scriptio plena vorherrscht, und wodurch sich zugleich zeigt, dasz der Gebrauch derselben mehr von der Bildungsweise und der Gewohnheit des Schriftstellers abhing.*

libris aliquibus ante exilium exaratis neutiquam infrequens est usus *matrum lectionis*, quas vocant. Tum, herclè, nescio quid emolumenti rudiores ceperint ex *scriptione plena* vocabulorum דויד *David*, et ירושלים *Jerusalem* (quæ duo exempla adversarii potissimum urgent); an forte si demptâ litterâ *jod* דוד scriptum vidissent, *Salomonem* intellexissent, aut ירושלם legissent *Babylonem*?

Ibid.

טיפשין pro טִפְּשִׁין. — Pluralis masculinorum etiam purioribus Rabbinis, et cæterùm a Chaldaismi æmulatione alienis, non tantum in אִם finitur, sed subindè etiam in יִן, præsertim in Participiis, ut: יִסּוּרִין *castigationes*; הֵן אִסּוּרִין *hæc prohibita sunt*; sic: תלמידיו של בלעם יוֹרְשִׁין גהינם וְיוֹרְדִין לבאר שחת. h. e. *Discipuli Bileami hæreditate accipiunt Gehennam et descendunt in foveam perditionis.* Imprimis id usitatum est in participio קוֹרִין (pro קוֹרְאִים) *vocantes, vocant,* quo Judæorum purissimus quisque uti non veretur e. g. קורין לו יֵשׁוּ *vocant eum Jesum* (1). — Cel-

(1) Sanctissimum Dei-hominis salvatoris nostri nomen a verbo ישע *salvavit*, hebraicè scribendum est ישוע non vero dempta ע littera, יֵשׁוּ, uti scribitur in Talmude Hierosolymitano. Id tamen, quæ est quorumdam sententia, non videtur tribuen-

larius. Cf. etiam quæ dicta sunt vol. I. p. 28. ad v. 8.

dum malitiæ, quâ, in odium Jesu Nazareni, nomen ejus Talmudistæ corruptè scribere affectassent, sed dialecto Hierosolymitanæ, cujus ea fuit indoles, ut litteras gutturales a fine vocabulorum per apocopen omitteret. (Cf. *Lehrgebäude der aramäischen Idiome mit Bezug auf die Indo-Germanischen Sprachen von Julius Fürst. Chaldäische Grammatik*. p. 17. § 17. Leipzig. 1835. — Suadet hoc etiam Evangelistarum scriptio Ιησυς; quod quid aliud est quam יֵשׁוּ cum terminatione vocabuli Græcâ? Nihilominus tamen facilè adducor ut credam, deinceps a posterioribus Rabbinis, hanc sacratissimi nominis scriptionem Talmudicam retentam esse malignè, ne יֵשׁוּעַ a יָשַׁע *salvavit* scribendo, honorifico nomine Christum appellarent. Scilicet novimus, teste Buxtorfio, (Lexic. maj. in voc. ישע) apud ipsos vulgatissimum esse ישׁוּ abbreviatè significare: ימח שמו וזכרו; quæ blasphemia latinè sonat: *deleatur nomen ejus et memoria ejus*. O miseram gentem!

NOTÆ MISCELLANEÆ.

IN CAP. II.

SENTENTIÆ ET PROVERBIA.

—

Pag. 9. v. 1.

Homo cinis sanguis et bilis. Ita respondit sapiens quidam rogatus, quid esset homo; qui valdè ingeniosè tria ista vocabula notaricè, ut Hebræi loquuntur, designari voluit per tres radicales, quibus Hebraicè constat hominis nomen, ita ut homo dicatur cinis a corruptibilitate, sanguis a vitalitate, fel a calamitate. Plantavitius.

Pag. 9. v. 5.

Sensus : amicus duorum qui se mutuo odio prosequuntur, utriusque suspicione non vacabit *vel* non erit sine curâ, ut utrique scilicet placere queat. חשש et *curam* et *suspicionem* significat. Plantavitius.

Pag. 10. v. 1.

Sensum hujus sententiæ habes in verbis S. Pauli in Epistolâ ad Romanos cap. 2. v. 13. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed fac-*

tores legis justificabuntur. להם לתלמידי וגו' Emphatica hic est τῦ ל signi casûs dativi repetitio; sæpè tamen occurrit merè pleonastica; v. g. in hoc R. Simeonis Ben Jochai (refertur in *Elle shemoth Rabba sect.* 29), quod in schedulis notent velim ii qui affirmant Israelitas a Moyse edoctos esse Deum non totius orbis terrarum Dominum, sed *nationalem ;* ita ait Ben Jochai : אמר להם הקב"ה לישראל: אלוה אני על כל בָּאֵי עוֹלָם, אבל לא יחדתי שמי אֶלָּא עליכם; איני נקרא אלהי אומות העולם, אלא אלהי ישראל. Quæ verba faciliora sunt quam ut interpretatione indigeant. Observo tantum באי עולם phrasin esse Rabbinicam qua *homines, genus humanum* designant. Nollem tamen, quod Maldonato, doctissimo Evangeliorum interpreti placuit, hunc Rabbinismum agnoscere in verbis Evangelii S. Joannis c. 1. v. 10. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (1). Nam primò quidem phrasim Rabbinicam sæpis-

(1) Verba Græca hujus commatis : *Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὁ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον*, etiam reddi possent ita : *erat lux vera quæ illuminat omnem hominem veniens in hunc mundum.* Verumtamen, teste Cornelio a Lapide l. h. l. interpretes ferè omnes Græci et Latini vulgatæ nostræ versioni consentiunt. Facit cum eâdem etiam H. Schott (Novum Testamentum Græcum novâ versione Latinâ illustratum. Lipsiæ 1825), qui recentissimè Novum Testamentum Græcum Latinè interpretatus est. Hic verba nostra sic latinè reddit :

simè obviam numquam non videas in *plurali* numero, *venientes;* S. Johannes autem *singulari* utitur, *veniens*. Deindè Evangelista non simpliciter dicit *veniens in mundum*, sed addit vocabulum *homo,* quod numquam non abest a phrasi Rabbinicâ.

Pag. 10. v. 2.

יראת שמים. Solenne Rabbinis nomine שמים Deum significare; et jam Christi Salvatoris tempore hic usus loquendi invaluerat. מי שאומר לשון הרע, חוטא בשמים ובארץ Midras Koheleth. ad c. 9. 12. *Detractor peccat in cœlum et in terram* (contra Deum et homines). Rationem dat Elias in Thisbi : קראו להקב״ה שמים לפי שהם מכון שבתו. Hinc lux affunditur verbis Matth. XXI, 15. — *Baptismus Joannis undè erat? e cœlo, an ex hominibus*; et Luc. XV, 18. *Pater, peccavi in cœlum et coram te.*

Pag. 10. v. 3.

Unus ex urbe et duo ex familiâ (seu ex gente vel ex natione). Proverbialiter usurpatur ut denotetur paucitas assentientium rei alicui. Sic apud nostrates dici solet derisionis causâ : *il n'y a que deux tondus et un pelé.* Plantavitius.

*Lux.... collustrans quemvis hominem qui in mundum venit.** Adde et versionem Syriacam vulgatæ consentire.

Pag. 10. v. 6.

Volunt dicere Magistri, eum sapientem esse judicandum, non qui præsumit se omnia scire, sed qui reputat se nihil scire, et paratus est semper abs quovis homine aliquid discere.

Pag. 11. v. 1.

עולם הזה *sæculum hoc*, cui opponitur עולם הַבָּא *sæculum futurum*, altera vita. Verùm apprimè hic notandum, *τo* עולם הזה in Rabbinorum scriptis nonnumquam significare *tempus ante adventum Messiæ*; tum verò *τo* עולם הבא *dies Messiæ* notat. Probo. In *Midrash Koheleth* Ed. Amstelodam. fol. סד verso c. 2. v. 1. legitur : ר׳ חזקיה אמר: כל תורה שֶׁאת לוֹמֵד בעולם הזה, הבל היא לפני תורה שבעולם הבא. Jam verò eadem sententia repetitur in eâdem Midrash ad cap. XI. v. 8, sed pro לפני תורה שבעולם הבא ibidem dicitur : לפני תוֹרָתוֹ של משיח. — Obiter hic observo locum hunc *midrashicum* non rectè adductum esse a Raymundo Martini (in Pugione fidei. Tertiæ partis, Dist. III. cap. XII) ad probandum legem Mosaicam per Messiam esse abrogandam. Nam de hoc ibi non agitur, ut patet ex contextu, quem quia Raymundus non adduxit, hic adducere juvabit : ר׳ חזקיה בשם רבי סימון בר זבדי אמר: כל בתורה שאת למד בעולם הזה, הבל היא לפני תורה

שבעולם הבא; לפי שבעולם הזה אדם למד תורה ושוכח, אבל לעתיד לבא מה כתיב תַּמָּן: נתתי את תורתי בקרבם. Quæ sic verbotenùs interpretor : « R. Hiskia in nomine Rabbi Simon filii Zebedæi dixit : omnis lex quam tu discis in hoc sæculo, vanitas est in comparatione cum lege sæculi venturi. Nam in hoc sæculo addiscit quis legem et ejus obliviscitur; at in futuro venturo, (fiet) quod scriptum est ibi (Jerem. cap. 31. v. 33) *dabo legem meam in medio* (corde) *eorum.* »

Pag. 11. v. 2.

לה לאותה confer quæ dicta sunt supra ad v. 1. p. 10, et notam ad v. 9. p. 162. Vol. 1. P. 2.

Pag. 11. v. 5.

אין התלמיד וגו' Ita et Christus Salvator noster dum *in terris visus est et cum hominibus conversatus est* (Baruch. c. III. v. 38) dixit : *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus*; *et servo sicut dominus ejus.* Matth. X. v. 24, 25.

Pag. 12. v. 3. sqq.

אין יכול וגו'. Etiam his gemina legere est Matth. c. VI. v. 24. *Nemo potest duobus dominis servire :*

aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet.

Pag. 12. v. 6.

להנצל מהיצר הרע. doctrinam de peccato originali Judæis incognitam fuisse, malè negavit Dan. Whitby (1). Quare, quum non leve argumentum pro tuendo eo dogmate nascatur, ex Synagogâ Ecclesiæ in eâ doctrinâ consentiente, operæ pretium visum est, hic testimonia quædam hanc in rem adducere.

In Talmude. Baba bathra. c. 1. hæc leguntur (2): ארבעה מתו בְּעֵטְיוֹ של נחש, ואלו הן: בנימין בן יעקוב, ועמרם אבי משה, וישי אבי דוד, וכלאב בן דוד. h. e. « Quatuor mortui sunt ob consilium serpentis, hi sunt: Benjamin filius Jacobi; Amram pater Moysis; Jesse pater Davidis, et Caleb filius Davidis. » Quorum verborum sensus est: quatuor hos non subiisse pœnam mortis, nisi ob peccatum Proto-parentis; neque enim alterius pec-

(1) Tractatus de imputatione divinâ peccati Adami posteris ejus universis in reatum, Authore Dan. Whitby. S. T. P. Londini. 1711. Cap. X. p. 193. *Et primo*, ait, *non leve adversus hanc doctrinam præjudicium ex eo oritur, quod inter Judæos numquam obtinuit; sunt enim dogmatis istius fundamenta præcipua partim ex veteris Testamenti scriptis, partim ex ejusdem ritibus desumpta.*

(2) Locus adducitur in libro cui titulus: דרך אמונה *via della fede mostrata agli Ebrei da Giulio Morosini.* Roma 1683. p. 123.

cati maculam illos umquam contraxisse. Atque hunc esse re verâ verborum sensum luculenter docet Rashi i. h. l. sic enim hunc locum Talmudicum explicat : בעטיו של נחש, בעצתו של נחש; כלו לא ראויין למות אלא שנגזרה גזרת מיתה על כל תלדותיו של אדם הראשון בעצת נחש. h. e. « tantumdem est בעטיו ac בעצתו; porrò omnes illi (*quatuor supra nominati*) rei mortis non erant, nisi quia decreta erat sententia mortis in omnes generationes primi hominis ob consilium serpentis. »

Jam verò communem hanc generis humani labem oriundam a peccato proto-parentis etiam *peccatum* dici a Judæis, atque adeò agnovisse eos *peccatum*, quod vocant, *originis*, id patet ex verbis Rashi adductis a Bartoloccio (Biblioth. Rabbinic. Part. III. p. 378) בעטיו של נחש. בעצתו של נחש שהשיא לחוה ולא בחטא אחר שלא חטאו. h. e. « *Quatuor illi mortui sunt* ob consilium serpentis, qui seduxit Evam, non ob aliud *peccatum* (*rei mortis fuerunt*), quia non peccaverunt. »

Plura hâc de re Synogogæ testimonia habentur in Raymundi Martini Pugione fidei, Parte III. Dist. II. Cap. VI. — Et Bartoloccii Bibliothecâ Rabbinicâ laudato loco, et Parte II. p. 43. sqq. Porrò omninò legenda dissertatio clarissimi et doctissimi Drach : *du péché originel selon la Synagogue*, quam exhibent *Annales de philosophie chrétienne. Janvier et Février* 1838. Adire etiam juvabit :

cf. etiam : Specimen Theologiæ Sobaricæ cum Christianâ amicè convenientis, studio et operâ Gottofr. Christophori Sommeri. Gothæ. 1734. p. 21 sqq.

Addam locum Talmudicum unum ex Tractatu (1) Beracoth. c. 1.

סוף אדם למות. יש סִבָּה שחטא מין האדם, והיא טבע הרכבתו, או חֵטְא אדם וחוה. ואין לתמוה על חֵטְא אדם וחוה, מדוע נכתב ונחתם בטבעת המלך לדורותיו אחריו. כי באותו היום שנברא בו אדם הראשון, נשלם הכל, והנה הוא שלימות הבנין וכללו, כי ממנו נשתה העולם, וכאשר חטא הוא, כל העולם כֻּלּוֹ חטא, ועונותיו סבלנו, מה שאין כן בחטא זרעו.

Quæ Latinè reddita sic sonant : « morti omnes subjacent. In causâ est, peccatum generis humani, h. e. naturæ quam unusquisque participat (2), sive peccatum Adæ et Evæ. Nec mirandum est quod peccatum Adæ et Evæ horum posteris (3) impressum sit obsignatumque annulo

(1) Locus adducitur in opere quod inscribitur : *Il Messia venuto*, dal P. D. Gio. Maria Vincenti Teologo de' Cherici Regolari Teatini. in Venetia 1659. Discorso secondo, p. 14.

(2) טבע הרכבתו verbotenùs : *natura insitionis*, *inditionis suæ* h. e. natura humano generi inserta, indita. —

(3) לדורותיו אחריו verbotenùs: *generationibus ejus* sc. Adæ *post ipsum*; quo Talmud innuit per seminalem rationem peccatum, quo humana natura infecta est, in posteros transfundi.

regis. Nam quo die creatus est primus homo, perfecta erant omnia, eratque ipse (primus homo) structuræ (humanæ) perfectio et complexio, quia ab ipso propagandus (texendus) erat hic mundus; atque ita, quando peccavit ille (primus homo), mundus hic universus peccavit, ejusque peccatum nos portamus, quod secùs est de peccato posterorum ejus. »

IBID.

אין כוח. Divini auxilii necessitatem ne superetur homo a pravâ suâ concupiscentiâ etiam proclamat R. Simeon filius Lakis in Talmude Massechet *Succa*. cap. V. « אמר ריש לקיש : יצרו של אדם מתגבר עליו בכל יום, ומבקש להמיתו, ואלמלא הב״ה עוזרו, אין יכול לו. h. e. Dixit Rish Lakis : figmentum (prava concupiscentia) hominis quotidie contra eum bellum movet, et quærit occidere eum; et nisi Deus sanctus, (benedicatur Ei), adjutorium ei præstet, non poterit prævalere illi. »

IBID.

Invenias אלמלא et אלמלי; juxta Eliam in Thisbi et auctorem libri Halichot olam c. 1. (apud Buxtorfium Lexic. maj. i. h. v.) אלמלא cum א in fine, est *nisi*, cum י in fine idem quod אִלּוּ *si*. Sed, addit Buxtorfius, differentia hæc non est perpetua. Quod quia nullo exemplo probavit,

unum alterumve quod nobis legentibus occurrit, hic allegasse juvabit. Itaque in אָבוֹת דְרַבִּי נָתָן (1) ita lego : אלמלא לא שינה הקדוש ברוך הוא קולות בני אדם *si Sanctus ille, benedicatur Ei, non dedisset hominibus voces distinctas*..... et mox שאלמלא ששנה נעימות בני אדם זה מזה. *Nam nisi diversis illecebris homines caperentur* etc.

Pag. 12. v. 10.

אין מביאין. Hâc syntaxi dictum aliquod *impersonaliter* effertur. Confer hic locum Evangelicum (Matth. V. 15) : *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio*, etc.

Pag. 13. v. 1.

Tanto odio Samaritanos Judæi prosequebantur, ut nullum omninò inter ipsos commercium esset : undè etiam in proverbium abiit, *non co-utuntur* (συγχρῶνται) *Judæi Samaritanis*. Joann. c. IV. 4. Fuerunt autem multæ causæ, ob quas Judæi dedignabantur Samaritanos. *Prima*, quia oriundi erant ab Assyriis, a quibus durissimâ servitute Judæi oppressi fuerant. *Secunda*, quia Samari-

(1) אבות דרבי נתן liber Talmudis apocryphus. Commentarius est in tractatum Talmudicum פרקי אבות ; verba laudata habentur cap. 4. fol. 10. (*) recto. Ed. Amstelodamensis.

tani possidebant regionem ad Judæorum hæreditatem pertinentem. *Tertia*, quia Samaritani deos alienos colebant, et ceremoniis Mosaicis Gentilium ritus miscebant. *Quarta*, quia, solis quinque libris Moysis receptis, cæteros respuebant. *Quinta*, quia postquam Judæi reædificare cæperunt Templum, Samaritani non admissi ab eis ad ædificium, omni vi conati sunt illud opus impedire. Esr. I c. 4. *Sexta*, quia sacrificabant extra Templum in monte Garizim, ubi etiam ædificaverant Templum, et sacerdotes instituerant, et sacrificia, undè extitit inter eos de Templi præstantiâ disceptatio (1). *Septima*, quia erant scandalum quoddam Judæis; nam quicumque ob violationem Legis Mosaicæ, aut propter alia flagitia non poterant tutò in Judæâ vivere, transfugebant ad Samaritanos, et hâc fiduciâ audacius legem violabant. *Octava* denique, quia modò Judæos, modò Assyrios se esse profitebantur : quando enim erant res Judæorum prosperæ, Judæos se esse fatebantur : quando verò adversæ, se Judæos esse nega-

(1) Quod hic dicitur, ipsa planè docet Samaritana mulier, de quâ sermo apud S. Joannem. c. IV. 20. — *Patres nostri* inquit illa, *in monte hoc* (montem Garizim, vicinum urbi Sichar vel Sichem, cujus incola mulier hæc erat, digito monstraverit) *adoraverunt* (adorationem talem intelligit quam comitabantur sacrificia; nam preces fundere ubicumque licitum Judæis, sed sacrificia offerre non nisi in templo Hierosolymitano, cf. Deut. XIV. 23) *et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus ubi adorare oportet.*

bant. Quibus de causis summo odio Judæi Samaritanos prosequebantur, unde ortum proverbium: *Non respondent* Amen *Samaritano preces fundenti.* Plantavitius.

Pag. 13. v. 5.

אם עור. Consonat Evangelium (Matth. XV. 14): *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in in foveam cadunt.*

Pag. 13. v. 6.

מגול זה. Et hâc denominatione apud Rabbinos venit יצר הרע de quo supra sermo fuit. Nonnumquam etiam vocatur זוהמת נחש הקדמוני *inquinamentum serpentis antiqui* (1); uti patet ex loco quem ex libro inscripto : נוה שלום (*habitaculum pacis*) in notis ad Pugionis fidei part. 3. Dist. 2. cap. 6, adduxit in litteris Rabbinicis eruditissimus Josephus de Voisin Burdigalensis : בעשיית המצות יתקדש מטומאתו, ויטהר מזוהמת נחש הקדמוני h. e. *observatione præceptorum sanctificatur homo ab immunditia suâ, et mundatur ab inquinamento serpentis antiqui* (2).

(1) Cf. Apocal. XX. 2. Et apprehendit draconem, *serpentem antiquum*, qui est diabolus et satanas. — Ipse hic *serpens antiquus*, apud Rabbinos audit יצר הרע. Cf. Drach. in dissertat. sup. laudatâ.

(2) Innuit hæc sententia, circumcisionis præceptum observando (nam hoc מצוה potissimum hic intellexerit R. Abraham auctor hujus operis), mundatum fuisse hominem a labe peccati originis. Ita sentit etiam du

Porrò quibus vocabulis יצר הרע in S. Scriptura exprimatur juxta Rabbinorum sententiam, hoc edocemur ex Talmude, Massechet סוכה cap. V. (in Pugione fidei, l. l.).

דרש ר'עזרא: שבעה שמות יש לו ליצר הרע. הב"ה קראו רע; שנ' כי יצר לב האדם רע מנעוריו. משה קראו עָרֵל; שנ' וּמַלְתֶּם עָרְלַת לבבכם. דוד קראו טָמֵא; שנ' לב טהור ברא לי אלהים; מִכְּלַל דְּאִיכָּא טמא. שלמה קראו שׂונא; שנ' אם רעב שונאך האכילהו לחם, ואם צמא השקהו, כי גחילים אתה חותה על ראשו, ויהוה ישלם לך (אל תקרי ישלם לך, אֶלָּא ישלימנו לך). ישעיהו קראו מכשול; שנ' סלו סלו פני דרך, הרימו מכשול מדרך עמי. יחזקאל קראו אבן; שנ' והסירותי את לב אבן מבשרכם. יאל קראו צפוני; שנ' ואת הצפוני ארחיק מעליכם.

Quæ sic latinè sonant : « Exposuit R. Esra : septem habet nomina figmentum malum. Deus

Voisin, l. l. Cui meritò contradicit illustrissimus Drach. *Quant à la circoncision*, ait vir celeberrimus (in Dissertatione suprà laudatâ), *elle n'a jamais été considérée dans la Synagogue comme un moyen de délivrer les hommes de la* souillure, *et du* venin de l'ancien serpent. *Elle était simplement un signe de l'alliance de Dieu avec la postérité* Isaacite *d'Abraham*.

vocavit illud *malum*, sicut dictum est (Gen. 8. v. 21): *figmentum cordis hominis* malum *a pueritiâ ejus*. Moyses vocavit illud *præputium* (Deuter. X. v. 16): *Et circumcidetis præputium cordis vestri*. David vocavit *immundum*, uti dictum est (Ps. LI. v. 12): *Cor mundum crea in me Deus*; quandoquidem erat *immundum* (1), Salomo vocavit illud *inimicum*, ut dicitur (2) (Prov. XXV. v. 21): *si esurit inimicus tuus, ciba illum pane, et si sitit, potum da ei; prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus retribuet tibi*. Non legas ישלם לך (*retribuet tibi*) sed lege (3) ישלימנו לך *tradet* vel *pacificabit tibi ipsum*. Isaias vocavit illud *scandalum* seu *offendiculum*, sicut dictum est (Isaiæ LVII. v. 14): *Et dixit sternite, sternite, scopate iter, levate offendiculum de viâ populi mei*. Ezechiel vocavit illud *cor lapideum*, sicut dictum est (cap. XXXVI. v. 26): *Et auferam cor lapideum de carne vestrâ*. Joel vocavit illud *Aquilonem*, sicut dicitur (Joel. cap. II. v. 20): *Et elongabo aquilonem a vobis*.

Pag. 14. v. 1.

אשר ל׳ = של Genitivi casûs nota Rabbinis

(1) Denominationem טמא eiicit ex opposito. de peccato originali, causâ ejus aut effectu.

(2) Errat Rabbi; agitur ibidem de benefaciendo inimicis. Cf. Ep. ad Rom. c. XII. v. 20. nec in cæteris, quæ adducit, locis, sermonem esse putem,

(3) Non hic indicatur varians lectio, sed innuitur quid, præter id quod littera sonat, insuper intelligendum sit.

maximè usitata. Occurrit et in S. Codice, ast non ut vocabulum *separatum*, quemadmodum in scriptis Rabbinorum, sed junctum cum aliquo vocabulo, aut certè cum affixo vel præpositione aliquâ. v. g. הִנֵּה מִטָּתוֹ שֶׁלִּשְׁלֹמֹה *ecce lectulum qui* est *Salomoni* (ecce lectulum Salomonis). Cant. Cantic. 3. v. 7. כַּרְמִי שֶׁלִּי *vinea quæ* est *mihi* (vinea mea.) Cant. Cantic. I. v. 6. בְּשֶׁל אֲשֶׁר יַעֲמֹל הָאָדָם לְבַקֵּשׁ Vulgata : *quanto plus laboraverit ad quærendum*. Eccles. 8. v. 17. Etiam של invenias cum præfixo et affixo. v. 9. Jon. I. v. 7. וְנֵדְעָה בְּשֶׁלְּמִי הָרָעָה הַזֹּאת לָנוּ *ut sciamus propter quem illud malum nobis* (acciderit).

Porrò observandum pro שֶׁ (אשר) et שֶׁל Rabbinos Chaldaizantes usurpare דְּ aut sejunctim דִּי.

Pag. 14. v. 2.

שכינה. de שכינה dicturi sumus in notarum miscellanearum Parte alterâ, ad loca selecta ex Zohar.

Pag. 15. v. 9.

בכל יום וגו׳. Jactatur in eos, qui de die in diem, suo gravissimo damno, pœnitentiam procrastinant. Cui placet adjungere salutiferum S. Augustini monitum (hom. *de pœnitentia*) : Judicet semetipsum

homo voluntate, dum potest, et mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, præter voluntatem a Domino judicetur. Plantavitius.

Pag. 16. v. 1.

במדה וגו' confer dictum Salvatoris (Matth. VII, v. 1): *nolite judicare, ut non judicemini*; *in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, et in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.*

Pag. 16. v. 2.

במעלת וגו'. Sensus est : neminem esse tam pauperem, qui non habeat pauperiores se, neque adeò peritum esse quemquam, qui peritiores se non habeat quamplurimos. Plantavitius.

Pag. 16. v. 5.

בערב וגו'. Ita Christus ad Pharisæos (Matth. XVI, 2): *Facto vespere, dicitis : serenum erit, rubicundum est enim cœlum*; *et manè : hodiè tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis : signa autem temporum* (adventûs Messiæ) *non potestis scire.*

Pag. 16. v. 9.

שפוט צדק *rectè judicato.* Apud Hebræos ad-

verbia etiam exprimuntur per substantiva in accusativo sine præpositione, atque ea adverbia exprimendi ratio Arabibus solennis est. Cf. Gesenii Lehrgebäude § 150. 2, et Sacy, qui (Grammaire Arabe. Paris. 1831. Tome second. p. 56. n. 118) de accusativo universè docet hæc : *l'accusatif, dans la langue Arabe, sert à deux usages principaux : il indique les complémens immédiats des verbes transitifs, et il forme des expressions adverbiales qui expriment une multitude de termes circonstantiels ou de complémens indirects ou accidentels. A raison de cette dernière fonction qui est propre à ce cas, la dénomination de* cas adverbial *lui conviendroit très-bien.* Ejusmodi accusativum adverbialem cernere est in verbis Ps. 15. v. 3 (vulg. Ps. 74) אֲנִי מֵישָׁרִים אֶשְׁפֹּט quæ verba significant : *ego justè judicabo.* Itaque litteram secutus Vulgatæ, in quâ, servato hebraismo, legitur : *Ego justitias judicabo,* malè ex hoc loco probare conatus est quidam Deum Optimum Maximum, in supremâ die, etiam in bona hominum opera judicem esse inquisiturum. Similes errores in magni nominis concionatoribus notavit abbas Gros de Besplas Doctor Sorbonicus in opere quod inscribitur : *Essai sur l'éloquence de la chaire. Paris.* 1767. Ac profectò magnum periculum est a verâ Sacræ Scripturæ mente aberrandi, si quis ejus auctoritate utatur, non præmisso serio *sensûs,* quem vocant, *litteralis* studio. Cavendum

enim verò, ne pro verbo Dei, verbum tradatur hominis, aut pro divino, Evangelium prædicetur humanum. Verbum autem Dei scriptum exhibet etiam sensus mysticus aut typicus, si hunc aut ipsa S. Scriptura, aut Ecclesia vel unanimis SS. Patrum consensus indicavit. Nec verò, quod quis fortè ex prædictis suspicetur, rejicio *sensum* quem vocant *accommodatitium*; modo velim ne adhibeatur, quum is sensus verbum Dei non sit sed hominis, ad fidei aut morum doctrinam confirmandam; ac porrò cura sit, ut accommodetur Sacræ Scripturæ *sententia*, non verò *mera verba*, a sensu quem suo loco in S. Codice habent obtorto quasi collo deflexa, inscitè traducantur.

Pag. 17. v. 1.

ההרגל. Habes in hoc vocabulo formam substantivi nominis Rabbinicam. Verum age, quoniam in hoc vocabulum incidimus, apponamus hìc quod, Buxtorfio et Hackspanio ducibus, de formis tum substantivorum tum adjectivorum nominum rabbinicis universè docet Georgius Otho (1).

Formæ nominum, ait, apud Rabbinos etiam puriores ab Hebraicis nonnihil variant. Nam substantiva masculina sunt :

(1) Georgii Othonis, Synopsis institutionum Samaritanarum, Rabbinicarum, Arabicarum, Æthiopicarum et Persicarum ex optimis quibusque auctoribus excerpta. Francofurti ad Mænum, 1717. In Synopsi Instit. Rabbinic. § 28, sqq.

1° Formæ פִּיקּוּד quæ ex Pihel derivantur, et ferè *actionem* significant, ut דִּיבּוּר *sermo*, אִיבּוּד *perditio* שִׁיקּוּי *potatio;* quibus tamen unum aut alterum in scripturâ simile occurrit, ut : בִּכּוּר *primitiæ*, גִּדּוּף *blasphematio.*

2° Formæ הֶפְקֵד ut הֶפְקֵר *commune*, הֶפְרֵשׁ *divisio* הֶרְגֵּל *usus, exercitatio* etc. quæ ex Hiphil descendunt.

Fæmininorum formæ sunt :

1° פְּקִידָה ex *Kal*, quæ similiter *actionem* ferè significant, ut : כְּתִיבָה *scriptio*, אֲכִילָה *comestio, esca, cibus*, נְגִינָה *pulsatio, musica*, קְרִיאָה *vocatio, lectio*, שְׁתִיָּה *bibitio* etc.

2° הַפְקָדָה ex *Hiphil*, ut הַפְלָגָה *excessus*, הַבְדָּלָה *separatio*, הַתְחָלָה *initium*, הֲבָנָה *intelligentia*, הֲנָעָה *motio*, הֲטָיָה *declinatio*, הַכָּאָה *plaga* הוֹדָאָה vel הוֹדָיָה *concessio* etc. cujus formæ ex verbis *perfectis* nullum, ex *defectivis* duo, et unum ex *quiescentibus* in S. Scripturâ extant, ut : הַצָּלָה *liberatio*, הַכָּרָה *agnitio*, הֲנָחָה *quies.*

3° In וּת variæ formæ, prout a nominibus aut verbis derivantur, v. g. a nominibus substantivis : גַּשְׁמוּת *corporeitas* (a גֶּשֶׁם *corpus*) עַצְמוּת *substantia*, אֱלוֹהוּת vel אֱלָהוּת *Deitas*, etc. ;.ab adjectivis : רַחְמָנוּת (a רַחְמָן *misericors*) *misericordia*, דַּבְרָנוּת *loquacitas* etc. ; ex verborum *Kal*, דְּבֵקוּת

(a דָּבַק, דָּבֵק *adhæsit*) *inhærentia*, סמיכות *conjunctio*, *syntaxis*, etc. quorum similia sunt in scriptura: ילדות *nativitas* אילות *fortitudo*, כבדות *gravitas*, ידידות *dilectio*, כסילות *stultitia* etc.; ex *Hiphil*, הַמְּצָאוּת vel המציאות *substantia*, ad formam biblicam השמעות *auditus*. Ex *Hithpahel*, הִתְנַצְּלוּת *excusatio*, *defensio*, התלמדות *studium*, הִתְבּוֹנְנוּת *consideratio*, *intelligentia* etc. ex *Niphal*, נמכות *deletio* נמסות *liquefactio* (1), etc.

Adjectivorum formæ sunt :

1° In ָן— quæ partim ex *Kal*, partim ex *Pihel* derivantur, et in fœminino adsciscunt ית ut גַּזְלָן *prædo*, *raptor*, רחמן *misericors* דברן *loquax*. Sic a Participio : גוזלן *raptor*, כועסן *iracundus*, etc. Fem. גזלנית *prædatrix*, רחמנית *misericors*; similia in Bibliis occurrunt : אלמן *viduus*, חרצן *acinus*, רַחֲמָנִיּוֹת *misericordes*.

(1) Terminatio in ות in plurali fit יות. v. g. רשות *potestas* רְשׁוּיוֹת. In S. Codice ות transit in יוֹת — v. g. a חָנוּת sit חֲנֻיּוֹת. — Obiter hic nota : Vocabula פָּרָשָׁה, כְּנֶסֶת et אות ubi *signum* sc. *litteram* notat (nam אוֹת *signum*, *prodigium* indicans pluralem habet אֹתוֹת) ante terminationem pluralem *Jod* (י) inserunt *dagessatum*, præmisso *chirek*. v. g. כְּנִסִּיּוֹת, אותיות. — In משנה vero ה in י mutatur, vocali præcedente manente; ut non dicatur מִשְׁנִיּוֹת sed מִשְׁנָיוֹת. Cf. Danzii Rabbinismum.

2° In אִי ex Pihel, ut זַכָּאִי *justus* קָרָאִי *Karæus, scripturarius*, ad formam biblicam גַּנָּב *fur*.

3° In ִי— vel ִיִּ— (1) ut : יוֹמִי *diurnus* גּוּפִי vel גּוּפִיִּי *corporeus*, לִמּוּדִי *disciplinaris* עִיּוּנִי *speculativus*, תּוֹרִי vel תּוֹרִיִּי *legalis*, אַרְצִי *terrestris* נֶגְדִּי *contrarius*, quorum fæminina regulariter desinunt in ִית (2) ut יוֹמִית *diurna* etc.

Præmissis addenda ducimus ea quæ circa formas nominum in Mischnâ occurentium universè notavit Hartmannus (3).

1. Substantiva denominativa *kamez impuro* insignita, qualia sunt hebraica מַלָּח *nauta*; רַכָּב *auriga*, in Mischnâ sæpissimè occurrunt. E. g. חַכָּר *asinarius*, גַּמָּל *camelarius*. II, 101 (4); תַּגָּר *negotiator* IV, 125. VI, 495; קַדָּר *ollarius* VI, 340

2. *Status emphaticus*, quem vocant Grammatici, Chaldæis et Syris communis, nec in scriptis V. T. infrequens (5), textui Mischnico familiaris-

(1) Vel נִי ut רוּחַ spiritus; רוּחָנִי spiritualis.

(2) Vel ִיָּה— aut ִיִּת— ut רְאָיָה הַתּוֹרִיָּה *argumentum legale*. Cf. Landau. *Geist und Sprache der Hebräer nach dem zweyten Tempelbau. Vorlesungen*. Prag. 1822. p. 77. 78.

(3) A. T. Hartmann; thesauri linguæ Hebraicæ e Mischnâ augendi. Rostochii 1825. Partic. primâ, p. 20 sqq.

(4) Numerus prior *Tomum*, posterior *Paginam* Mischnæ editionis Surenhusianæ indicat.

(5) Qui Aramæismos in aliquo

simus dicendus est. Ex. gr. בְּרִיתָא *creatura* IV, 284. שחיטתה *mactatio* V, 23; לבונתה *thus* ibid. 66; לישתה *depsio* ib. 79. שרפתה *combustio* VI, 279. פתיחתה *apertio* VI, 179.

3. *Status emphaticus* Pluralis mascul. generis in אָיָא desinens in Mischnâ deprehenditur, ex. gr. קוביא *cubi* IV, 221; et מטבחיא *laniones* IV, 260. VI, 81. טְמֵיָא *polluti* VI, 205. ספריא *scribæ* III, 308.

4. Pluralia substantivorum, quæ a singularibus media *vau* quiescentibus deducuntur, a vulgari formâ recedentia atque ad modum scribendi Aramaicum efficta ex. gr. חוחים *spinæ*. 1 Sam. 13. 6. דודים *ollæ* II Chron. 35, 13; שְׁוָקִים *plateæ* Cant. Cantic. 3, 2. שְׁוָרִים *boves* XII, 12, non absunt a Mischnâ ex. gr. שוורים *boves* V, 112; שווקים *plateæ* VI, 500 (1).

5. Pluralia a singularibus monosyllabis descendentia nonnumquam litteram ultimam radi-

S. Scripturæ libro occurrentes pro certissimo criterio habent, librum illum post demum captivitatem Babylonicam conscriptum, aut, si ante, certè deinceps interpolatum fuisse, non videntur attendisse, alias præter commorationem in Babyloniâ, hujus phænomeni Grammaticalis dari posse causas, de quibus, Deo dante, alibi, peculiari dissertatione, sum acturus.

(1) Si alia exempla non habeat auctor, dici posset prædictas formas non esse Mischnicis auctoribus proprias dicendas, sed ab iisdem ex S. Codice retentas.

calem *geminatam* ostendunt : ex. gr. צְלָלִים *umbræ* Cant. Cantic. II, 17. Jerem. VI, 4; eodem modo in צדדים *latera* in Mischna VI, 308, 472.

6. More Aramaico litteram ה plurali אמהות *ancillæ* insertam legimus in Sacro Codice, ex. gr. in Job XIX, 15; quod et passim in Mischnâ factum. Ex. gr. אמהות של בצלים *matres ceparum* I, 46.

7. Masculina in *Jod* desinentia nonnumquam in plurali recipiunt *Aleph:* sic sing. חצי *dimidium* flectitur in חצאין V, 147.

8. Feminina exeuntia in *Aleph* et *He* sæpius in plurali mutantur in *Jod* ex. gr. כסא transit in כסיות *sedilia* VI, 459 et חסה *cepa* in חסיות I, 235, 238. Eodem modo Nehem. 12, 47, 13, 10. מניות.

9. Feminina, quæ terminantur in ות, modo in יות, modo in ויות flectuntur; ex. gr. מכלות mutatur in מלכיות *regna* II, 350; חנות in חנויות *tabernæ* VI, 337.

10. Terminatio feminina in ית in plurali fit יות; ut טליות *pallia* VI, 459 (1).

11. Inter masculina in אי desinentia referendum est חֲשָׁאי *secretum, occultum* II, 194; רשאי *licitum* I, 7, 19.

12. Substantiva cum præfixo Articulo Arabico

(1) Dicitur et טליתות, docente Buxtorfio Lexic. maj. i. h. v.

אל, qualia sunt אלגביש *grando,* Ezech. XIII, 11; אֶת־עֲצֵי הָאַלְמֻגִּים, I Reg. X, 12, quod II Chron. II, 7, scribitur אַלְגּוּמִּים, *lignum santalinum;* אלקום *populus,* Prov. 30, 31, (vocabulum idem significans Arabicum legitur in Pocockii specim. Hist. Arab. Oxoniæ, 1640, p. 203, 204, Alcor. Sur. II, 54. 60. 67), multaque nomina propria in Sacro Codice obvia, ex. gr. אלמדד Gen. 10, 26; אלקנה 1 Chron. VI, 8; אלתקא Jos. XXI, 23; אלמלך ibid. XIX, 26, coll. 44, reperiuntur quoque in Mischnâ, v. g. אלקטיות *umbracula æstivalia,* I, 255. VI, 212.

13. Nomina *quatuor* et *quinque* litterarum (quæ tam e duobus aliis conflata, quam vel in principio, vel in medio, vel in fine aucta dixeris), qualia occurrunt v. g. Habac. 2, 9, קיקלון; Prov. 21, 8, הפכפך; Jerem. 46, 20, יפהפיה; Cant. Cantic. I, 6, שחרחרת; Isaiæ 58, 11, צחצחות ibid. 64, 1, זלזלים; Job. 9, 18, ממרורים; Jerem. 13, 23, חברברות; Thren. 5, 10, זלעפות (ubi formæ radicali זעף inserta est litera *Lamed,* de quo more consulendus est doctissimus Peiper in Dissert. de *Moallaka Lebidi,* Jordanimolæ, 1823, p. 71), et alia similia; talia et in deliciis habentur a Doctoribus Mischnicis : Ex. gr. קרקע *fundus* I, 197; חלבצין *herbæ e genere lactariarum* I, 215; כלכיל *nutritio* II, 33; פיטפוט *pes ollæ* ibid.; קורנס *malleus* II, 48; טומטום *obturatus*

II, 413; ענבל *campana* III, 164; תרוד *cochlear* III, 169; פרנסה *sustentatio* III, 383; פלפלין *piper* IV, 340; פטוטרות *petioli* IV, 366; קלקלה *calamitas* IV, 460; פשפש *ostium* V, 287; גלגל *trochlea* V, 378. כבכב *vas* VI, 26; פספס *segmentum* VI, 252; פרגול *circinus* VI, 142; בעבוע *bulla* VI, 474.

14. Substantiva femin. more Syris adamato in ־ַת exeuntia, ut קְצָת Dan. I, 5. מְנָת Ps. 63, 11; שְׁנָת Ps. 132, 4, deprehendisse mihi videor in Mischnâ IV, 315, ubi מקצת *ex parte.* —

Pag. 17. v. 5.

Confer sententiam Salvatoris (Matth. XII, 25): *Omne regnum divisum contra se, desolabitur: et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit.*

Ibid.

הקב״ה. Locus hic me admonet ut de *abbreviaturis*, quas vocant, Hebraicis universè paucis dicam. Utar autem verbis Joannis Buxtorfii (1) qui peculiari libello hâc de re egit.

Sunt autem *abbreviaturæ* aliarum vocum litteræ initiales, in vocis formam conjunctæ, et duobus

(1) De abbreviaturis Hebraicis. Franequeræ 1696.

apicibus supernè notatæ, quarum singulæ singulas dictiones alias connotant. Hinc ab Hebræis vocantur רָאשֵׁי תֵּיבוֹת *capita, initia vocum*. Tantoperè hoc scribendi compendio Hebræi gaudent, ut nullus liber, nullum scriptum, nulla epistola, nulla pagina aut scheda eo ferè careat. Hæ salebræ sunt, ad quas incauti impingunt; prudentes verò eas scitè et impeditè pertranseunt. Qui autem saltu eas prætereunt, verum plerumque ac perfectum loci sensum amittunt. Peperit eas partim scriptionis celeritas, partim usûs celebritas.

Cæterùm litteræ in hunc usum non sumuntur quælibet, sed initiales tantum, quæ totam vocem suam indicant. Talia apud nos sunt J. U. D. pro: Juris utriusque Doctor; S. P. D. pro: salutem plurimam dicit.

Interdum etiam ultimæ vocum litteræ pro abbreviaturis colliguntur, quod apud Cabalistas non infrequens est, et tunc vocantur istæ סוֹפֵי תֵּבוֹת *fines dictionum*. Hinc יוֹהָךְ *Juhach* ipsis est nomen Angeli, hominum custodiæ præfecti, desumptum ex finalibus litteris harum vocum: כִּי מַלְאָכָיו יְצַוֶּה לָּךְ Nam angelis suis præcipiet de te (ut custodiant te in omnibus viis tuis). Ps. 92. 11.

Porrò abbreviaturæ sunt vel *Propriæ*, vel *Impropriæ*, sive *Perfectæ*, vel *Imperfectæ*.

Propriæ, quando duæ pluresve litteræ conjunctæ, singulas integras dictiones alias significant: ut

ז"ל pro זִכְרוֹנָם לִבְרָכָה *memoria ipsorum sit in benedictionem*, i. e. *benedicta*. אצ"ל pro אֵין צָרִיךְ לוֹמַר *non est necesse dicere*. Quandoque tamen duæ vocis alicujus literæ simul sumuntur, ad eam distinctiùs significandam : ut ית"ש pro יִתְבָּרַךְ שְׁמוֹ *Benedictum sit nomen ejus* : הקב"ה pro הַקָּדוֹשׁ בָּרוּךְ הוּא *sanctus benedictus ille Deus*.

Propriæ sunt vel *Generales* vel *Speciales*, aut, quod idem, *Communes* vel *Privatæ*.

Generales sive *Communes*, quarum usus ubique conveniens esse potest : ut, אי"ה pro אִם יַעֲזוֹר הַשֵּׁם *si juverit Dominus*, *Deo juvante*.

Speciales sive *privatæ*, quæ in certo authore aliquo, certo libro, certâ ac speciali aliquâ materiâ magis usurpantur, quarum usus alibi incommodus esset. Sic Grammatici, Masorethæ, Talmudici suas habent privatas abbreviaturas; sic in libris Precum, in libris Ritualibus, in libris Cabbalisticis, aliisque similibus, certæ ac speciales abbreviaturæ sunt.

Litteras istas symbolicas sic conjunctas, Judæi brevitatis causâ solent communiter per *Patach* legere, ac si dictionem per se constituerent, ut : ז"ל *Sal*, רז"ל *Rasal*, רד"ק *Radak*, רמב"ם *Rambam*. Litteræ ו et י vocales sæpius indicant E. I. O. U.

ut : רש״י *Raschi*, ר״בן *Rivan*, תי״קו *Teku*, יוהך *Juhach* (1).

Impropriæ sunt, quando una alterave littera a fine vocis resecatur, et resecta indicatur virgulâ obliquâ, ad summitatem litteræ ultimæ positâ, ut : אמ׳ pro אָמַר *dixit* : ישר׳ pro יִשְׂרָאֵל *Israel.* In monosyllabis bilitteris hoc abbreviandi genus vix umquam contingit. Non enim licet ponere א׳ pro אֵת, neque ע׳ pro עַל, et similia. Unicum excipitur ד׳ pro דַּף *Folium*, pagina libri. Hujus generis sunt :

אונק׳ pro אֻנְקְלוֹס Onkelos, quod est nomen Paraphrastis Chaldæi in legem.

בט׳, id est, בְּטַעַם *cum accentu* (apud Masorethas).

בפ׳, id est, בְּפֶרֶק *in capite* (Rab.).

גו׳, id est, גּוֹרֵס *legit.*

גי׳, id est, גִּירְסָא *Lectio.* Sic cum litterâ servili ב, בגי׳ *in lectione*, *cum lectione*, vel בְּגִימַטְרִיָּא *Gematricè* (2).

דכו׳, id est, דְּכְוָתֵיהּ *quod sicut illud*, *simile ipsi* (Rab.).

(1) Explicantur hæ *abbreviaturæ* in earumdem vocabulario speciali, quod habetur in hujus operis vol. III.

(2) De גִּימַטְרִיָּא, נוֹטָרִיקוֹן et תְּמוּרָה seu Kabbalâ Judæorum *artificiali* dicetur infrà.

וגו', id est, וְגוֹמַר *Et reliquum*, *Et cætera*. Post abruptum Scripturæ locum usurpant tantum.

וכו', id est, וְכוּלוֹ *et totum illud*, h. e. *et cætera*, *et reliqua*. Usurpant, quando sententiam abrumpunt. Aliquando apud Masorethas וְכוּלְהוֹן *Et omnia ista*.

חס', id est, חָסֵר *Defectivum* (Mas.).

'יי pro nomine Tetragrammato יהוה. Interdum scribunt יְיָ. Prisci (ut magni authores volunt) notarunt ,'‚' per tria Jod, mysterii, ut putatur, causâ.

ית' ית' וית', id est, יִתְבָּרֵךְ וְיִתְעַלֶּה *Benedictum sit et exaltetur*. Nomini Dei subjici solet, quod numquam sine reverentiâ usurpant. Quandoque unicum tantum ponitur, quandoque conjunguntur, uti fit in libro מִזְבַּח הַזָּהָב. Sæpè præponitur שׁ ut שֶׁית *quod* vel *qui* etc.

כג' vel כגו' id est, כְּגוֹן *sicut;* idem valet quod Hebraicè כְּמוֹ.

כל', id est, כֻּלָּם vel כֻּלְּהוֹן *omnia ista* (Mas.).

כלו', id est, כְּלוֹמַר *secundum dicere*, *ac si diceret*, *verbi gratiâ* (Rab.).

(1) Dei nomen hoc (,'‚') modo expressum ubivis occurrit, ipse ego vidi, in *Machazor* Ms. satis antiquo quod conservatur Bruxellis in Bibliothecâ Ducis Burgundiæ.

כשא׳, id est, כְּשֶׁאָמַר *quando, quum dicit* (Rab.).

לד׳, hoc est, לְדַעְתִּי *juxta sententiam meam.*

לפי׳, id est, לְפִיכָךְ *idcirco,* aliquando לְפֵירוּשׁ *juxta expositionem.*

לומ׳, id est, לוֹמַר *dicere.* Infinitivus Rabbicus verbi אָמַר pro לֵאמוֹר.

לי׳, id est, לְיוֹנָתָן *secundum Jonathanem.*

מגז׳, id est, מִגְּזֵרָה *a radice* vel *Themate* (Gramm.).

מיב׳ לי׳, id est, מִיבָּעֵי לֵיהּ *quæritur ipsi* (Talm.).

מתני׳, id est, מַתְנִיתָא *traditio, doctrina* (Talm.).

סבי׳, id est, סְבִירִין *existimantur* (Mas.).

סי׳, id est, סִימָן *σημειον, signum,* caput libri (Rab.).

פי׳, id est, פֵּירוּשׁ *expositio,* vel פֵּירֵשׁ *explicat* (Rab.).

שי׳, id est, שֶׁיִּחְיֶה *qui vivat,* vel שֶׁיִּחְיוּ *qui vivant,* vel שֶׁיִּתְבָּרֵךְ *quod benedictum sit.* Prius nomini viventis subjicere solent, posterius nomini divino, et sic etiam ת in fine adjicitur שית׳.

שנ׳, id est, שֶׁנֶּאֱמַר *quod dicitur, sicut di-*

citur, sc. in scripturâ sacrâ. Usurpant quando dictum aliquod S. Scripturæ allegant.

שת', id est, שֶׁתִּחְיֶה *quæ vivat*; fœminæ viventis nomini in familiaribus epistolis subjici solet.

תו', id est, תּוֹב *prætereà, ampliùs, porrò*, i. q. Hebraicè עוֹד.

תני', id est, תִּנְיָן vel תִּנְיָנָא *secundum, alterum*. Hebraicè שֵׁנִי vel שֵׁנִית (Masor), et his similes. Diximus autem, *abbreviaturas* proprias duobus supernè apicibus vulgò notari. Id verum, sed non contrà, duo apices semper abbreviaturas indicant, de quo plura notanda sunt.

Primò. Litteræ apicibus notatæ, tam singulæ quam plures, numeros etiam denotant, id quod ex sensu facilè animadverti potest. Præcedere enim aut sequi aliquid solet, ad quod numerus refertur, veluti בדף כ"ה *folio* 25; שנת תרי"ג *anno* 613; בפרק י"ב *capite* 12; סימן ק"ו *signo* 106; עמוד ב' *columnâ* vel *paginâ* 2.

Secundò. Nomina Alphabeti, τεχνικῶς sumpta, his apicibus quoque notari solent: אל"ף, בי"ת, גימ"ל *Aleph, Beth, Gimel*. Volunt quidam et alia nomina Grammaticalia, veluti ש"ם *nomen*, פע"ל *verbum*, etc. sic signari, quod a me non est observatum.

Tertiò. Nomina barbara aliarum linguarum,

veluti Græca, Latina, Gallica, etc. Item nomina urbium Gentilium, nomina propria Christianorum, quæ in linguâ Hebræâ sunt barbara et peregrina, sic omninò signantur, veluti בז׳יל *Basel*, sive בזיליא״ה *Basilea*, סטראסב״ורג *Strasburg*, פרנקפ״ורט *Frankfurt*, ונ״יציאה *Venetia*, פלנט״ינוס *Plantinus*, בומב״ירגו׳ *Bombergus*, et similia.

Quartò. סִימָנִים *signa*, i. e. voces quæ certæ alicujus rei signum memoriale sunt: sic מֹשֶׁה וְכָלֵב quæ per se sunt nomina propria Biblica, apud Grammaticos sumuntur pro vocibus symbolicis litterarum servilium, et tunc sic notantur apicibus: מש״ה וכל״ב. Item, הֶאֱמַנְתִּי vox est per se significativa, at cum est symbolum litterarum formativarum *Nominum*, tunc notatur האמ״נתי. Sic nomen יֵהוּא *Jehu*, litterarum quiescentium symbolum, et ita plurimæ aliæ. Sic deinceps Masorethæ habent sua signa ac voces symbolicas, Talmudici sua.

Ad hanc classem quoque referri possunt voces communes, quæ per se significativæ sunt et in continuatâ sententiâ usurpantur, sed prætereà certum numerum exprimunt anni, quo aliquid agitur vel actum est. Exempli causâ: anno Christi 1610, quo belli faces exardere cœperant per Alsatiam et alia loca vicina, usurpabam dic-

tum aliquod Scripturæ in fine epistolæ Hebraicæ, quam tunc ad Rabbinum quemdam Francofurtensem exarabam, in cujus unâ voce continebatur annus, nempè שנת כוננו חצם על יתר anno *Aptarunt sagittas suas nervo,* Ps. 11, 2. Hìc יתר in numero continet 610, quæ vocatur supputatio minor, omisso millenario. Tali aliquâ voce Scripturæ eleganti dicto inclusâ, solent uti in titulis librorum ad indicandum annum impressionis : v. g. Talmud judaicum imprimi cœptum est Basileæ anno C. 1578; undè in titulo istius voluminis, quod tunc excudebatur, ponitur נדפס שנת פדות של״ח לעמו h. e. Impressum anno *Redemptionem misit populo suo*; Ps. 111, 9. Hìc שלח continet 338, qui annus (supputatione minore judaicâ (1)) respondet anno prædicto Christi nati.

Item hùc pertinent voces, quæ a communi suo usu ad mysterium aliquod significandum, aut aliud speciale occultè indicandum, accommodantur, cujus causâ etiam apicibus notari solent. Verbi gratia שִׂמְחָה est nomen appellativum *lætitia*; est et nomen proprium virorum inter Judæos. Ad talem cum aliquando darem litteras Hebræas, implorans ejus operam in comparando mihi libro hebraico, euphemiæ causâ usurpabam in frontispicio epistolæ illud Salomonis, תוחלת צדיקים שמ״חה Proverb. 10, 28. Hìc apices denotant,

(1) De supputatione minori judaicâ sermo erit infrâ.

vocem istam genuino quidem suo significatu usurpari, sed præthereà occultè accommodari ad nomen proprium istius viri Simchæ, qui spes bonorum sit, si votis ipsorum annuat. At cum petito meo non satisfecisset, denuò ad eum scribens, aliud ex eodem Salomone in fronte litterarum ponebam, ad negligentiam ejus occultè carpendam, nempè אחריתה שמ"חה תוגה, *Extremum lætitiæ mœror est* ex Prov. 14, v. 13, volens dicere: tandem Simcha dolebit, quòd mihi non sit gratificatus. Vicissim Judæi ad me scribentes, in fronte litterarum ponunt sæpè hæc verba, יח"נך אלהים *Gratiam faciat tibi Deus*, ex Gen. 43, v. 29: item, יח"נן יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת *Misereatur Dominus Deus exercituùm*, ex Amos 5, v. 15, ubi apices designant, allusionem fieri istis vocibus ad nomen meum יוֹחָנָן, quasi simul eâdemque voce dicant: gratiam faciat tibi o Johannes etc. Sed אַגַּב גְרָרָא (*per occasionem*) in transitu hic prodam imposturam Judaicam. Quidam Rabbi Francofurtensis ישעיה ענו Jesaias Anaf, i. e. humilis (nunc ivit ad infima terræ), ante triennium ad me scribens, hoc dicto Jesaiæ prophetæ in fronte litterarum utebatur: והיה אמונת עתיך חסן ישועות *eritque firmitas temporis tui robur salutum*, i. e. *omnis salutis*, Jes. 33, v. 6. Voluit significare, me credere in Jesum, et ab eo omnem meam

salutem expectare; sed observa venenatam lanceam in latus Christi infixam. Vocem יְשׁוּעוֹת divulserat, hoc modo עוֹת ״ישׁו, supra positis apicibus, quibus significatur, non frustrà hanc vocem sic a se scriptam esse, nempè quod ישׁועות sit quasi יֵשׁוּ עֻוֵּת *Jeschu* (sic dicunt ipsi pro *Jesus*) *pervertit*, sc. legem Dei. Ergo voluit significare, robur meum esse Jesum istum qui pervertit legem Dei. O malitiam judaicam! o benignitatem Christi, tamdiu blasphemum hominum genus tolerantem!

Quintò, Literæ primæ plurium vocum quandoque uno, quandoque gemino apice notantur, quæ collectæ nomen aliquod proprium constituunt. Sic auctores librorum, frequentissimè sua nomina primis vocum litteris occultè exprimunt: sic amici et familiares nomen ejus quem epistolâ salutant (vide Epistolas nostras Hebraicas), sic alii alia. Hinc auctor celebris istius libri Cabbalistici, שׁערי אורה *Portæ lucis*, librum suum inchoat talibus verbis: ״יסוד ״החכמה ״ועקר ״הקבלה ״אמונת ״השם ״ית׳ ״האמן ״אם ״דרך ״נכוחה ״ידרכו וכו׳ Hic primæ litteræ apicibus notatæ, in tres has dictiones colliguntur, quæ constituunt tria nomina divina, nempè יהוה Jehova, אהיה Ehejeh, אדני Adonai. Rambam, id est, Rabbi Mosche ben Majemon, librum suum יד his verbis incipit:

יסוד היסודות ועמוד החכמה ubi primæ litteræ nomen יהוה exprimunt.

Reperias et aliis de causis apices adhiberi, quas prudens et peritus lector facilè ex circumstantiis cognoscet: veluti, in Masorâ circa textum, quando author qui eam collegit, et in ordinem redegit, animadversionem quandam specialem suis verbis ad notas masorethicas adjicit, tum singulas voces apicibus notat, ut sic videatur, ea verba esse authoris, non priscorum Masoretharum.

Denique notandum, abbreviaturis frequentissimè præfigi litteras serviles communes, quales sunt, משׁה וכלב *Mosche vecalef*, et quatuor præpositiones בכלם *Bachlam*, pronomen שׁ *qui*, *quæ*, *quod*; ו conjunctio copulativa; ד nota genitivi casûs ex usu Chaldaico, et quandoque pronomen idem quod ש; denique א ex usu Talmudico. Hucusque Buxtorfius quem ferè exscripsimus.

Pag. 18. v. 1.

התאבק וגו׳. Malè, ut Vitringa notavit, phrasim hanc explicavit Sam. Petitus, qui tradidit τo התאבק hic tantumdem valere ac *luctari*; indicari autem metaphoricâ hâc locutione התאבק וגו׳, *etiam in remissionibus et ludis non esse remittendum quicquam de sapientiâ et doctrinâ, quam sibi compararunt ex assiduo sapientum usu.* « Sed nullo exemplo, ait Vitringa (1), hanc significa-

(1) Campegii Vitringa de Synagogâ vetere Lib. III. L. 1. P. 1. c. 7.

tionem vocis אבק probat Petitus. Nulla etiam in verbis ratio est, quæ hanc explicationem suadeat. Imò, quod magis est, rudi admodum et impolitâ metaphorâ *remissiones operarum* comparantur cum luctationibus. » Nihil autem aliud eâ phrasi indicatur quam hoc : esto sedulus auditor seu discipulus sapientum ; quod satis colligitur ex parallelismo in altero hujus sententiæ membro : והוי שותה בצמא את דבריהם; et omninò confirmatur, si conferamus verba S. Pauli Apostoli qui (Act. XXII, 3) se dicit ἀνατεθραμμένον παρὰ τὰς πόδας Γαμαλιὴλ, quâ phrasi profectò significat se ut discipulum Gamaliele usum esse magistro. Scilicet in suggesto, atque adeò in eminentiori loco tunc temporis, uti nunc fieri solet, ferè sederint magistri, ita ut discipuli fuerint in humiliori, et quasi ad illorum pedes collocati. Obiter hìc nota, quod nonnihil ad rem facit, eum (1) qui protulit sententiam, de quâ agimus, fuisse S. Pauli ferè coætaneum.

Porrò *magistro uti aliquo* et aliâ locutione Hebræi efferunt; dicunt enim למד לפני פ'; sic v. g. Benjamin Tudelensis (2), ut significet Pseudo-Messiam Davidem Alroi magistris usum esse Hasdai principe Exulum, et Heli Synedrii principe,

(1) Sc. יוסי בן יועזר Jose filius Joëseris. Cf. Tract. Talm. פרקי אבות, ipso principio tractatûs.

(2) מסעות של רבי בנימין Itinerarium D. Benjaminis; p. 91 in ed. Const. l'Empereur, Lugd. Batav. 1633.

ait : ולמד לפני ראש הגולה חסדאי ולפני ראש הישיבה עלי. Atque huic phrasi similis ea est quam in S. Codice animadvertere licet, sc. ישב לפני פ'; sic v. g. 2. Reg. VI, 1, queruntur filii (h. e. discipuli) Prophetarum, quòd angustior esset locus quam ut omnes discipulos capere possit; dicunt autem : הנה־נא המקום אשר אנחנו יֹשְׁבִים שם לְפָנֶיךָ צר ממנו.

Pag. 18. v. 8.

לא תתנו. Cf. sententiam Salvatoris nostri, quæ legitur Matth. VII, 6. =*Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

Pag. 19. v. 2.

מי שירים. Ita Christus (Matth. XXIII, 11) : *qui se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humiliaverit, exaltabitur.*

Pag. 19. v. 6.

מסורת. Hujus sententiæ explicationem daturi sumus in notis ad selecta Masorethica.

Pag. 20. v. 1.

מפשע. Sententia congruit cum dicto Salvatoris (Matth. XII, 34) : *ex abundantiâ cordis os loquitur.*

Pag. 20. v. 4.

מרבה. Variæ sententiæ hìc conjunctæ auctorem ferè habent (הלל) Hillelem (1), cujus discipulus fuit (שמאי) Schammai, qui deinceps ejus æmulus effectus est. Atque hinc, uti notat Bartolocci (2), duæ illæ tam famosæ in Judaismo Scholæ, Beth Hillel (בית הלל) et Beth Schammai (בית שמאי) originem sumsêre, quæ in decidendis de ceremoniis Legis Mosaicæ obortis quæstionibus, ferè semper adversas et contrarias opiniones sequuntur. Aliquandiù quidem hæ scholæ in summâ pacis et unionis concordiâ Mosaicam legem interpretatæ sunt, sed non diù post, subortis dissensionibus et litigiis, adeò inter earum discipulos odia excreverunt, ut תלמידי בית שמאי היו הורגין בתלמידי בית הלל ועמדו להם בנפשותם h. e. discipuli Schammai Hillelis discipulos interficerent.

Dissensio vero inter utramque Scholam Schammai et Hillel incœpit die 9 Adaris, ad quam diem anniversarium jejunium indictum est; nec ulla inter eos ratio inveniri potuit, quâ discordantes sententiæ in unum communem sensum coalescerent. Nam quum Schammai dives esset, in suis decidendis sententiis austeritatem potius, quam be-

(1) Cf. Tract. Talmud. פרקי אבות, Cap. II.

(2) Cf. Bartolocci S. Sebastiani ad Catacumbas abbatis, monachi Cisterciensis, Bibliotheca magna rabbinica; Parte 2da, p. 789.

nignitatem sectabatur. E contra Hillelis opiniones benigniores et pauperibus magis favorabiles (nam et ipse pauper erat) censebantur. Utræque verò, etsi inter se contrariæ, vel etiam quandoque contradictoriæ esse videantur, nihilominus adeò magni fiunt a Judæis, ut utramque partem tamquam divinum oraculum ultrò recipiant et ambabus ulnis amplectantur. De quâ re testimonium habetur in Talmude Cod. עירובין. Cap. 1, ubi postquam istæ duæ scholæ *Schammai* et *Hillelis* per triennium post mortem Schammai et Hillelis pertinaciter contendissent, et planè contradictorias sententias defendissent, tandem vocem de cœlo auditam fuisse (aiunt) atque dixisse: אלו ואלו דברי אלהים חיים *hæc et illa sunt verba Dei viventis*. Verba Talmudis sunt: אמר ר' אבא אמר שמואל: ג' שנים נחלקו בית שמאי ובית הלל. הללו אומרים הלכה כמותנו, והללו אומרים הלכה כמותנו. יצתה בת קול ואמרה: אלו ואלו דברי אלהים חיים h. e. *dixit R. Aba, dixit Samuel: Tribus annis divisa fuit Schola Schammai et Schola Hillelis. Hæc dicebat, determinari debet doctrina secundum nos; idipsum altera dicebat. Egressa est vox (oraculum) et dixit: Hæc et illa sunt verba Dei viventis.* Quod tamen fictitium et imaginarium oraculum esse convincitur, quia duo contradictoria simul et semel vera esse non possunt in eodem subjecto: nec, quod naturæ repugnat.

oraculum divinum docuisset et approbasset. Hucusque Bartolocci. —

Nec pauca erant doctrinæ capita in quibus Schola Hilleliana a Schammæanâ dissidebat, uti ex Talmude liquidò constat. Illorum quædam recensuere Geiger et Giessmannus in Commentatione quæ inscribitur בית הלל ובית שמאי, Altdorfi, 1707, quæ ibidem legi poterunt. Hìc ego unum tantum illud controversiæ caput commemorabo quod est de causis divortii, quia nonnihil facit ad perspicuam intelligentiam eorum quæ leguntur Matth. Cap. XIX, v. 3, sqq. Controversia autem hæc refertur in Talmude, in Gemarâ Babylonicâ ad Tractatum Gittin cap. 9, his verbis :

תַּנְיָא: (1) אמרו בית הלל לבית שמאי: והלא כְּבָר (2) נאמר דבר? אמרו להם ב"ש: והלא כבר נאמר ערות? אמרו להם ב"ה: אם נאמר ערות ולא נאמר דבר, הייתי אומר: מִשום ערוה תצא, משום דבר לא תצא; לכך נאמר דבר. ואלו נאמר: דבר, ולא נאמר: ערות, הייתי אומר: משום דבר וגו'.

(1) De תניא cæterisque terminis Talmudicorum technologicis dicturi sumus in notis ad excerpta Talmudica.

(2) כבר passim apud Magistros pro הֵן ecce usurpatur, et sic exponit Aben Ezra, Kohel. 2, 17, ut docet Drusius in libro suo *de particulis Chaldaicis, Syriacis, Thalmudicis et Rabbinicis*, i. h. v. —

Quæ verbotenùs sic latinè reddimus : Traditio (est) : dixerunt Schola (h. e. discipuli) Hillelis Scholæ Schammai : an non ecce dictum est (Deuter. XXIV, 1.) דבר *res quæcumque?* responderunt ipsis Schola Schammai : an non ecce dictum est ערות *turpitudinis?* reposuerunt ipsis discipuli Hillelis : si dictum fuisset ערות (tantum) nec (etiam) dictum fuisset דבר, dixissem : propter turpitudinem egrediatur (ejiciatur uxor), propter (quamcumque) rem non egrediatur; et ideò dictum est דבר. Quod si dictum fuisset (tantum) דבר nec (etiam) dictum fuisset ערות dixissem : propter (quamcumque) rem (posse uxorem ejici); etc. Ex quibus patet tempore Salvatoris nostri, nam tunc floruere Hillel et Schammai, Scholas Judæorum circa causas divortii abiisse in duas sententias, quarum Hilleliana quidem quancumque ob causam (דבר)licitum esse divortium docebat, Schammæana vero non nisi ob ערות דבר (rem turpem) tantum id juris esse concedebat. Itaque Pharisæi qui nihil magis venabantur quam ut Christo invidiam conflarent, quæstionem illam de causis solvendi matrimonii eo tempore maximo animorum æstu agitatam ei proponunt. *Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum et dicentes, si licet homini dimittere uxorem suam, quâcumque ex causâ?*

Cui quæstioni seu negando seu affirmando respondisset Christus, utrovis modo plurimorum

odium in se concitasset; nam aut Hillelianos aut Schammæanos necessariò fuisset offensurus. Atque hoc spectabant Pharisæi, qui non ad discendum sed ad nocendum, ut sæpè antea, etiam nunc ad Christum accesserant. Quid igitur Christus? matrimonium ad primævam institutionem revocat, ac, abrogatâ Mosaicâ lege de divortiis, legem suam de vinculo conjugali ob nullam causam solvendo, hoc loco proclamat (Cf. Marc. X, 2-9, et Luc. XVI, 18), atque ita captiosam Pharisæorum quæstionem eludit. Itaque, quæ verba deinceps a Salvatore prolata leguntur apud Matthæum v. 9, *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur : et qui dimissam duxerit*, *mœchatur;* ea non ad Pharisæos fuêre facta, sed, quod omninò conficitur ex loco parallelo Marci X, 10, 11, ad discipulos suos qui domum reduces, uti hic Evangelista narrat, de eâdem re iterum Magistrum suum interrogavêre. *Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis : Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.*

Pag. 21. v. 5.

ליעקר. De usu Rabbinico futuri temporis præfixo ל paullò distinctiùs hic agere juvabit. Itaque

futurum præfixo ל pro Infinitivo usurpari, non est quod dubitemus. Sic Maimonides in opere suo quod inscribitur הלכות יסודי התורה seu *constitutiones de fundamentis legis*, Cap. IV, finem versùs, ait : ובשר ולחם הוא לידע האסור והמותר h. e. *est vero caro et panis scire quid sit licitum quid prohibitum*. Idem in ipso statim sui operis principio, ait : יסוד היסודות ועמוד החכמות לידע שיש שם מצוי ראשון, והוא ממציא כל נמצא h. e. *fundamentum fundamentorum* (primum fundamentum) *et columma omnis sapientiæ* (verbotenùs sapientiarum) *est*, *scire quod existit Ens primum, quodque illud dat existentiam omni existenti*. Ibid. in principio Cap. 2. hæc habes : מתאוה תאוה גדולה לידע השם הגדול h. e. *magno desiderio expetit cognoscere nomen illud magnum* (Deum illum potentissimum). His addatur unum alterumve exemplum ex Talmude. Tract. ברכות Cap. 3, finem versùs legimus : ר"ש בן גמליאל אומר: לא כל הרוצה ליטול את השם יטול. h. e. *Dicit R. Simeon filius Gamaliel : non omnis qui velit assumere Nomen, id etiam licitè facere poterit.* Ibidem Cap. 4. finem versùs, hæc habet : היה רוכב על החמור, ירד; ואם אינו יכול לירד, יחזיר את פניו; ואם אינו יכול להחזיר את פניו, וכו' h. e. *si vehitur aliquis asino, descendat*; *quod si nequeat descendere*, *convertat faciem suam*; *si vero nequit faciem convertere* etc. Animadverte, Lector, promiscuè hic dictum esse יכול לירד et יכול

להחזיר. Imo in unâ eâdemque phraseos particulâ futuro cum ל jungitur Infinitum verbum tamquam Infinitivo vero præcedenti. Exemplo esto illud Maimonidis Cap. 2 operis suprà laudati : דעתה קצרה להשיג ולידע h. e. *intelligentia ejus* (sc. מעלה הראשונה primi gradûs) ***brevior est quam ut attingat et cognoscat.***

Animadverterit attentus lector in omnibus exemplis quæ hucusque citavimus de fut. præfixo ל pro Infinitivo usurpato, futurum hoc positum esse in numero singulari.

An verò, quod affirmat G. Otho in suâ synopsi institution. Rabb. § 43, forma futuri etiam pluralis numeri, præfixo ל, loco Infinitivi veniat apud Rabbinos, id mihi quidem nondum probatum est.

Cæterùm, ל Futuri temporis tertiis personis utriusque numeri præpositum sæpè reddendum est per *ut* vel *ad* cum Gerundio; atque eo etiam casu pro Infinitivo venire formam *futuri*, ex eo patet quod, etiamsi subjectum phrasis sit pluralis numeri, *futurum* tamen illud ponatur in singulari. v. g. Tract. שבת. C. XII. היו כותבין על קרשי המשכן לידע איזו בן זוגו h. e. *signarunt asseres tentorii ad cognoscendum quis cuique socius* = ut eòdem semper ordine asseres componerentur. Ibid. C. VIII. Mishnâ חכמים אומרים: כדי לזבל: ה כרישא; חול חגם, כדי ליתן על מלא כף סיד h. e. ***Sapientes dicunt : ad stercorandum porrum ; arenam majorem, ad injiciendum calcis tanto, quan-***

tum vola capit. In quo exemplo nota promiscuè dici לזבל *ad stercorandum*, et ליתן *ad injiciendum.* Conferatur etiam Mishna præcedens, et Mishna ב ubi hæc habes : המוציא חבל כדי לעשות אזן לקופה... כדי ליטול ממנו מידת מנעל לקטן וכו׳ h. e. *Quicumque promit funem, ut ansam urceo ex eo faciat.... ut indè mensuram calcei pro puero faciat* etc.

Nota. Quamquam in multis locis nihil cogat affirmare formam futuri in 3 personâ singularis numeri masculini generis præcedente ל pro Infinitivo usurpari, et dici possit non pro Infinitivo sed propriè pro futuro seu pro modo conjunctivo præcedente ל venire, tamen alia sunt loca in quibus formam futuri præcedente ל pro Infinitivo venire non possis non agnoscere. Conferantur exempla supra allegata; et considerentur etiam sequentia : Talm. Tract. פרקי אבות Cap. 2 finem versùs hæc habes : הוא היה אומר: לא עליך המלאכה לגמור, ולא אתה בן חורין ליבטל ממנה. h. e. *Idem solebat dicere : non quidem injungitur tibi ut opus perficias, sed tamen* (1) *libertatem non habes ab opere cessandi.* Si in hoc exemplo τὸ יבטל (quod respondet præcedenti Infinitivo לגמור) non pro Infinitivo sed pro futuro habitum fuisset, dicendum profectò fuisset לתבטל quandoquidem אתה, adeòque secunda persona,

(1) בר חורין i. e. חפשי.

præcessit. Sic R. D. Kimchi ad Jes. 14, 31 scribit: יש לכם ליראה *est vobis timendum*; jam si futurum hic conciperes, dici debebat לתיראו, tam in secundâ personâ quam numero plurali, quorum neutrum ad ליראה accommodari potest, uti rectissimè observavit Danzius (1). Idem, quod ad præsentem quæstionem etiam facit, ex Talmudico Tractatu בבא קמא Cap. 9, hoc adducit exemplum: רחל העומדת ליגוז *ovis stans ut tondeatur*; ubi si futurum concipis, requirebatur præform. ת fœmininum. —

Pag. 22. v. 1—5.

ארבע וכו' h. e. *quatuor sunt genera discipulorum Sapientum. Alii sunt quasi spongia, quæ exsugit et absorbet omnia,* i. e. omnem humorem, non discernentes unum ab alio, sed omnia memoriæ suæ mandantes. *Alii tamquam dolium pertusum, quod aquam haurit unâ ex parte et ex aliâ effundit,* omnia facilè apprehendentes, sed nihil memoriâ retinentes. *Alii quasi cuppa, quæ vinum effluere sinit, et fæces tantummodo retinet*, res malas et doctrinam erroneam memoriæ commendantes; res vero bonas veramque doctrinam oblivioni tradentes. *Alii denique veluti subcerniculum seplasiarii seu pigmentarii*, *quod pulverem et furfur emittit*, *et optimam colligit*

(1) Joh. Andr. Danzii Rabbinismus Enucleatus. Ed. 3. Jenæ 1715, p. 94.

similam, solum id quod bonum et verum est, memoriâ retinentes : quod verò malum et falsum est, e memoriâ delentes. Plantavitius. —

Pag. 22. v. 6, 7.

כל מה וכו' observent Hermesiani, qui cum magistro suo negant (quod docet Ecclesia Catholica), creasse Deum propter semetipsum ut finem ultimum, quidquid creavit, adversariam ipsis esse etiam Synagogam, quæ disertis verbis proclamat : propter gloriam suam creasse Deum quidquid creavit.

Pag. 22. v. 8.

כל אשר וכו'. Ita Salvator (Matth. VII, 12) : *omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Ac jam multo ante tempore eamdem morum regulam inter alia piissima monita filio suo inculcaverat Tobias (Tobiæ IV, 16) : *Quod ab alio oderis fieri tibi*, *vide ne tu aliquando alteri facias.*

Pag. 23. v. 3.

בעל וכו'. Patet ex hâc sententiâ Synagogam, quæ etiam hìc facit cum Ecclesiâ Catholicâ, neutiquam sentire cum Luthero, qui docuit pœnitentiam consistere in solâ novitate vitæ vel resipis-

centiâ, quin necesse sit ut dolore tangatur homo ob vitam anteactam.

Pag. 23. v. 5.

אל תבטח וכו'. Confer hic Matth. C. III, v. 9. ubi S. Johannes Baptista, ad Judæos : *Et ne velitis dicere*, inquit, *intra vos : patrem habemus Abraham*. Etiam alibi in S. Codice videmus Judæos hanc originem ostentantes. Sic Joan. VIII, 33. clamant : *Semen Abrahæ sumus*. Cf. etiam II Corinth. c. XI, 22; atque utinam fuissent obsecuti Salvatori eos adhortanti : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite* (Joan. VIII, 39). *Non enim successio carnis quæritur*, ait S. Hilarius, *sed fidei hæreditas*; atque eo sensu dicitur in Midrash Tehillim (ad Ps. 146) undè verba præsentis sententiæ desumta sunt : *Ne fiduciam ponat quis in operibus* (bonis) *patrum suorum, neque clamet Israel, Abraham pater noster est*; *bonorum ipsius particeps ero, ipse me eripiet* etc. Nam Sanctorum intercessionem, quam Ecclesia Catholica docet, hìc non rejici, imo a Synagogâ admitti, suo loco, Deo dante, adductis argumentis, probaturi sumus.

Pag. 23. v. 7.

אל תצר וכו'. *Ne te torqueat ærumna diei crastinæ, nescis enim quid paritura sit dies*, seu,

ut inquit alter, *nescis quid serus vesper vehat.*

Hoc est, ne sis sollicitus de malo venturo, satis enim vexationis habet malum præsens. *Nihil est miserius*, inquit Seneca, Epist. 101, *dubitatione venientium, quorsum evadant : quantum sit illud quod restat, aut quale, collecta mens inexplicabili formidine agitatur.* Nam ut ait Horatius :

Quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina summæ
Tempora Dii Superi?

Et Propertius :

Forsitan includet crastina fata dies :
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Cf. etiam dictum Salvatoris Matth. VI, 34. *Nolite ergo solliciti esse in crastinum.* Plantavitius.

Pag. 23. v. 8.

אל תשליכו וכו׳. Confer dictum Salvatoris (Matth. VII, 6) : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos : ne fortè conculcent eas pedibus suis et conversi dirumpant vos.*

Pag. 24. v. 2.

קטני אמנה vocantur ii quibus parum fiduciæ est in providentiâ Dei. Eadem phrasis ad idem significandum occurrit Matth. VI, 30 : *Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum*

mittitur, *Deus sic vestit : quanto magis vos modicæ fidei* (Gr. ὀλιγόπιστοι)?

Pag. 24. v. 5.

כל בית וכו'. Consonant hæc sententiæ Christi Salvatoris (Matth. XII, 25) : *Omne regnum divisum contra se, desolabitur : et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit.* —

Pag. 24. v. 6.

אין המדרש וכו'. Sententia hæc in Tract. Talmud. פרקי אבות Cap. I, tribuitur Simeoni Gamalielis filio; qui Simeon, ex sententiâ Bartolocci, is Simeon fuit qui Christum puerulum gestavit in ulnis. Luc. 2. Cujus Simeonis filius erat Gamaliel, Senex dictus, qui fuit Apostoli Pauli præceptor (Act. Ap. XXII, 3); idem etiam auctor ejus consilii Judæis fuit, ut a persequendis Apostolis abstinerent (Act. Ap. V, 34), sapientissimâ hâc prolatâ sententiâ : *si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur : si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini.* Cf. Bartolocci Biblioth. magna Rabbinic. Tom. II, pag. 797.

Pag. 26. v. 5.

שבעה דברים וכו'. *Septem dicuntur de insipiente,* seu imperito, *et totidem de sapiente. Sa-*

piens numquam loquitur in conspectu sapientioris et senioris se. Non ingerit se sermonibus socii sui, eum loquentem non interpellit. *Non terretur inter respondendum*, non præcipitanter loquitur respondendo. *Interrogat circa subjectum*, quod res est appositè quærit. *Ad quæsita accuratè respondet, de primo prius loquitur, et de postremo posterius agit*, unicuique rei suo ordine satisfacit. *Quod non audivit* seu non intellexit, *fatetur liberè se non audisse*, vel non intellexisse. *Denique quod verum est, semper profitetur*, veritati agnitæ ultrò cedit. *Quæ autem his omnibus e diametro adversantur, in homine indocto et imperito comperiuntur*. Ex versione Plantavitianâ.

Pag. 27. v. 8.

נימוס est Gr. νομος. Porrò universè hic observandum est magnum numerum vocabulorum Græcorum in scriptis Talmudicis occurrere. Idque mirum videri non debet si animadvertamus cum Sturzio, linguam Græcam, postquam Alexander M. magnam terrarum orbis partem, ipsamque adeò Ægyptum victricibus armis subegerat et occupaverat, mox latissimè cœpisse dominari ita, ut studium ejus ubique vehementer augeretur. Judæi igitur tam Alexandrini quam Palæstini nunc Ptolemæis, nunc Seleucidis parere coacti, populis græcè loquentibus et immixti et adjacentes, quin ex quotidiano

usu, ex familiaribus cum iis congressibus, ex institutis cum Syris commerciis, atque insigni mercaturæ lucrique studio ducti, linguam Gentis imperantis sibi, quantum necessarium visum, addidicerint dubitari nequit. Atque hinc Judæos multa vocabula Græca in suam linguam invexisse facillimè intelligi poterit (1).

Deinceps verò, ex quo scilicet in potestatem Romanorum redacta est Palæstina, etiam Latina vocabula quædam Palæstinensi sermoni fuêre immixta. Quod vel ex iis vocabulis Latinis probari potest, quæ ab Evangelistis Græcè scribentibus Græco suo sermoni intertexta legimus. Notantur ea passim apud auctores, collectaque leguntur in opere H. A. Schott, cui titulus : Isagoge historico-critica in libros Novi Fœderis Sacros, Jenæ, 1830, p. 507. Sunt autem sequentia : ἀσσάριον, δηνάριον, κεντυρίων, κῆνσος, κοδράντης, κολώνια, κυστωδία, λεγεὼν, λέντιον, μάκελλον, πραιτώριον, σιμικίνθια, συδάρια, σπεκυλάτωρ, τίτλος, φραγέλλιον; quæ omnia vocabula prorsùs sunt latina, ad formam tamen vocabulorum Græcorum efficta.

Porrò, ideò et vocabula origine Persica in Hebræorum scriptis nonnumquam quædam occurrunt, quia Judæi per aliquod temporis spatium Persarum imperio fuêre subjecti; quamquam dici etiam potest, Persicas quasdam voces in patrium

(1) Sturzius de dialecto Macedonicâ, Lips. 1808, pag. 21, citatus a Hartmanno in opere suprà laudato, p. 37. —

sermonem Judæorum fuisse transmissas per Græcos, qui Persas in ditionem suam redegêre, et ab iisdem nonnulla vocabula mutuaverint.

Prætereà non pauca invenias vocabula in scriptis Rabbinorum, quæ ex Galliâ, Italiâ, Hispaniâ vel Germaniâ originem suam ducunt.

Speciminis causâ subjicimus hic vocabula aliqua peregrina in Talmude aliisque Hebræorum scriptis occurrentia :

אבגינוס Græc. *εὐγενής*. אגומין Græc. *ἄγωμεν* (eamus). אגמון Græc. *ἡγεμών*. אגון Græc. *ἀγών* (certamen). אגוסטה Latin. *Augusta* (uxor Cæsaris). אגריאון Græc. *ἀγρεῖος*. אגריסין Græc. *ἄγριος*. אגריפס Græc. *ἄγραφος*. אדורה Græc. *δορά*. אדרבלין Græc. *ὑδραύλης*. אדרפקוס Græc. *ὑδρωπικός*. אותיאוס Græc. *εὐθύς*. אותנטיאה Græc. *αὐθεντία*. אזמל Græc. *σμίλη*. אזמרגדון Græc. *σμάραγδος*. אטימוסיאה Græc. *ἑταιμοσία*. איזקפא Græc. *σκάφη*. אימיקסירוס Græc. *ἡμιξηρός*. איסקריטורי Latin. *scriptor*. איקומיני Græc. *οἰκουμένη*. אוכטו Latin. *octo*. אוכלוסא Græc. *ὄχλος*. אלא Græc. *ἀλλά*. אסטבלאות Latin. *stabulum*. אפטא Græc. *ἑπτα*. אפס Græc. *ἄφες*. ביבר Latin. *vivarium*. גני Græc. *γυνή*. דינמים Græc. *δυνάμις*. דקוריון Latin. *Decurio*. הגמון Græc. *ἡγεμών*. הידור Græc. *ὕδωρ*. וילין Latin. *velum*. זיטימה Græc. *ζήτημα*. טבלא Latin. *tabula*. טסקא Ital. *tasca*. יקונאות Græc. *εἰκών*. לוקוטיניטי Ital. *luogotenente*. מרמוטא Hispan. *marmota*. פסתא Ital. *pasta*. פריבטאות Hispan. *privada* (latrina).

Quæ hucusque citavimus exempla ea omnia depromsimus ex libro cui titulus : עיר דוד *sive de convenientiâ vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis et quibusdam aliis linguis Europæis*, auctore David Cohen de Lara. Amstelodami, a. 1638. Opus hoc locupletissimum thesaurum exhibet vocabulorum a peregrinis linguis in scripta Rabbinorum derivata. Quem thesaurum auxerunt deinceps viri doctissimi :

D. Ant. Theod. Hartmann, Universitatis Literariæ Rostochiensis (a. 1825) Rector (in dissertatione quæ inscribitur : Thesauri linguæ Hebraicæ e Mishnâ augendi) qui vocabula origine Græca aut Latina in Mischnâ dispersa coegit, magno quidem labore, cum nullus dux quem sequeretur, ut ipse ait, adstaret.

D. Georg. Bened. Winer, Th. Proff. in Academiâ Lipsiensi, vocabula origine Græca collegit quæ occurrunt in Onkelosi paraphrasi Chaldaicâ. Leguntur p. 10, in ejus dissertatione de Onkeloso ejusque paraphrasi Chaldaicâ. Lipsiæ, 1820.

Jul. Henr. Petermann, in dissertatione inaugurali de duabus Pentateuchi paraphrasibus Chaldaicis (Berolini 1829), voces exoticas collegit (Dissertationis partic. 1, p. 66, sqq.) quæ inveniuntur in paraphrasi quæ Jonathanis esse dicitur.

Quibus omnibus addam ego hic, ad modum spicilegii, vocabula exotica, quæ mihi occurrerunt perlegenti paraphrasin Chaldaicam in librum prio-

rem et posteriorem Chronicorum. Ac facturum me operæ pretium existimo, quandoquidem ex hâc paraphrasi hucusque nemo, quantum quidem scio, peregrina vocabula collegit. Utor autem paraphraseos hujus editione illâ, quam ex Msto. Cod. Cantabrigiensi expressit David Wilkins.

In Paraphrasi in I Chron. habes sequentia :

I Chron. c. IX, v. 18. פלטירין Palatium. Cap. XI, v. 2. ארכון ἄρχων. Ibid. v. 5. חקרא ἄκρα (arx, munimentum). Ibid. v. 6. אוכלון ὄχλος (populus). Ibid. v. 16. איסטרטיג, איסטריג στρατηγός, et Cap. XII, v. 19. איסטרטיגי στρατηγοί. Ibid. v. 22. אוכלוזין ὄχλοι. Ibid. v. 32. סופיסטין σοφιστάς. Ibid. איצרולוגין ἀστρολογοι. Cap. XV. v. 2. קלפונין καλλίφωνος. Cap. XVIII, v. 2. דורון δῶρον. Ibid. v. 6. איסטרדיוטין στρατιῶται. Ibid. v. 17. סנדרי (alibi סנהדרין) quod fortè scribendum est : סנדרי' συνέδριον. Cap. XIX, v. 6. קינטירין (sic) Latin. *Centenarii*. Ibid. v. 8. אוכלוסי גיבריא ὄχλοι *fortium*. Cap. XX. v. 1. אוכלוזא (in stat. emphat.) ὄχλος. Cap. XXI, v. 15. אוקונין εἰκών. Ibid. v. 16. אוורא (sic) Latin. *aer*. Ibid. v. 27. תיקה θήκη (hìc ipse Paraphrastes notat Græcum esse vocabulum; si tamen nota hæc ipsius est, nec ab alienâ manu in margine posita, hinc deinceps in textum irrepserit). Cap. XXII, v. 14. קנטירין (sic) Latin. *centenarii*. Cap. XXIX, v. 2. אזמרגזין (sic) Latin. *smaragdi*. Ibid. מרגליתא μαργαρίτης. Ibid. אבני מרמורייה (lapides) *mar-*

morei. Ibid. v. 4. קינטערין (quomodo forsitan etiam suprà legendum est) Latin. *centenarii*. Ibid. v. 15. אויר Latin. *aer*. Ibid. v. 19. פלטירין Latin. *palatium*.

Porrò ex Paraphrasi Libri II Chronicorum vocabula exotica notavi sequentia :

Cap. III, v. 8. קינטינרין Latin. *centenarii*. Cap. IX, v. 9. legitur קינטירין ibid. v. 15. קרונתא κορώνη (summitas, fastigium). Cap. IV, v. 11. פיילייא φιάλαι (pocula, pateræ) Cap. IV, v. 12. גניסייא Latin. γένεσεις (familiæ). Cap. VIII, v. 10. איסטרטיגייה (sic) στρατηγοὶ ibid. v. 11. פלטירין Latin. *palatium*. Cap. XXXIV, v. 9. legitur פלטין Cap. IX, v. 1. מרגליין μαργαρίται; et v. 10 מרגליתא ibid. v. 24 דורוניה δῶρον cum affixo. Cap. XI, v. 11. ארכונין ἄρχοντες. Cap. XV. במסייה (sic) βωμοὶ (aræ, altaria). Cap. XXIV. ליבלרא Latin. *libellarius*. Cap. XXXI, v. 1. אוכלוסיהון ὄχλοι cum affixo. Cap. XXXIII, v. 7. דיוקניה a δύο et εἰκών esse scribit Buxtorfius, Lexic. maj. i. h. v. Ibid. XXXIII, v. 11. כירומנקייה (sic) videtur esse a Græco χείρ et Latino *manicæ*, puta *chiromanicæ*. Cap. XXXIV, v. 31. איסטוניה στοὰ (locus conventûs)? Cap. XXXV, v. 25. מטרונייתא Latin. *matronæ*.

Pag. 28. v. 5.

עצמך. Reciprocum, quod Hebræi per נפש *anima*, Syri per קנומה *substantia*, Rabbini

puriores per עֶצֶם *os, ossis*, Talmudici per גרם cum Suffixo exprimunt, ut : אמר על עצמו *locutus est de seipso;* עזור לעצמך *juva teipsum.* Sic, לית ליה מגרמו *non habet ex seipso*, עבד לגרמיה fecit pro seipso etc.

Porrò, idem עצם et pro eo גוף *corpus*, vel particula אֵת cum suffixo sæpè emphaticè per *ipse, ipsa, ipsum*, reddendum est, ut ואנוש עצמו מן התועים היה *etiam ipse Enos inter errantes erat.* Sic, גופי *ego ipse*, גופך *tu ipse*, גופו *ille ipse*, etc. אותו *is ipse*, בְּאוֹתָהּ שָׁעָה *eâ ipsâ horâ.* ביד אותם הרשעים *in manu istorum sceleratorum.* G. Othonis institut. Rabb. § 32.

Pag. 28. v. 7.

גיהנם. *Vallis Hinnom*, sive, ut legitur 4 Reg. 23, 10., גֵּי בְנֵי הִנֹּם *vallis filiorum Hinnom*, locus fuit propè Jerusalem, crudeli Molochi cultu aliquandò infamis, quem Josias rex narratur contaminasse, ut etiam hâc ratione Israelitæ a nefando cultu averterentur (4 Reg. XXIII, 10). Videtur autem pius Rex præcepisse ut in eum locum conjicerentur morticina et immunda alia quævis comburenda; hinc et ignis in valle Hinnom alitus perpetuus; undè deinceps, quia is locus speciem exhibebat pœnarum Inferni, Gehennæ nomine Infernus designari cœpit; fuitque is usus

loquendi, eo jam tempore quo Salvator noster cum hominibus versari dignatus est, communissimus, uti vel ex N. Fœderis Scripturis abundè constat.

Superioris sententiæ auctorem habemus R. Jehudam Levitam in libro הכוזרי inscriptus; מאמר ראשון p. 24. in recenti ejus operis editione, quæ lucem vidit operâ Isaac Metz. Hamburgi 1838, ubi hæc leguntur:

גיהנם הוא מקום ידוע קרוב לירושלים; גיא שאין האש נכבתה ממנו. היו שורפין בו עצמות הטומאה והנבלות ושאר הטומאות. h. e. *Gehinnom locus notus est propè Jerusalem; vallis in quâ ignis non extinguebatur. Ibidem comburebant ossa immunda, et cadavera* (morticina) *cæterasque res immundas.* Quem locum Judæus Jacob Abendana (1) hispanicè sic reddidit: *Gueinam es un lugar notorio cerca de Yerusalaim; un valle en el qual nunca se apagava el fuego; donde se quemavan los huessos de la imundicia, calabrinas, y las demàs immundicias.*

Gehennæ autem nomine, si de pœnarum post mortem sontibus luendarum loco sermo sit, scriptores Hebræi, nunc locum æternorum suppliciorum, nunc purgatorium, quem etiam Catholici dicimus, locum intelligunt. Sufficiat hìc, quia alibi

(1) *Cuzary libro de grande Sciencia y mucha doctrina...... agora nuevamente traduzido del Ebrayco en Español, y comentado por el Hacham R. Jaacob Abendana. En Amsterdam, Año 5423, p. 50.*

de fide Synagogæ circa locorum pœnas præmiave recipiendi diversitatem sermo redibit, adnotasse quæ leguntur in libro sat antiquo et a Judæis in magno pretio habito, זוהר dicto, in quo ad Parascham Bereshith finem versùs hæc habentur : שבעה. מדורות הם לגיהנם, שכך יש לו שבעה שמות ליצר הרע במקום אשר נדונים הרשעים; ואילו הם: באר שחת; טיט היון; שאול; צלמות; גיהנם; תפתה; שאול תחתית. ומכולם נדונין ועולין; אבל מי שיורד לשאול תחתית אינו עולה; h. e. septem sunt mansiones in Gehennâ, sicut septem sunt nomina concupiscentiæ in loco ubi plectuntur mali; sunt autem hæc : puteus corruptionis; lutum fecis; inferi; umbra mortis; Gehenna; Taphtch; infernus inferior; atque ex omnibus istis locis, postquam (sontes) pœnas dederunt, exeunt; sed is qui descendit ad infernum inferiorem, numquam indè exit.

Pag. 30. v. 1.

אין לגנות וכו׳. h. e. non est vituperandum bonum opus, etiamsi a fatuis seu nebulonibus proficiscatur : neque etiam laudandum est malum opus, etiamsi a viris inclytis et magni nominis emanet. Plantavitius.

Pag. 30. v. 4.

אין להלל וכו׳. Sensus : *inchoantem laudari*

non debere, nisi inchoata perficiat. Multi enim sunt qui egregiè multa inchoant, sed valdè pauci qui ad finem inchoata perducunt. Incassum autem bonum agitur, ex D. Gregorio in Moralibus, si ante vitæ terminum deseratur : quia et frustrà velociter currit, qui priusquam ad metam venerit, deficit. Plantavitius.

Pag. 31. v. 4.

עוקר הרים h. e. *eradicator montium;* Proverbialis locutio est apud Magistros, usurpaturque de eo qui in re aliquâ magna et incredibilia præstat. Sic in tract. עירובין de Ben Assai dicitur in glossâ marginali : לא היה בימיו עוקר הרים כמוהו *non fuit in diebus ejus transferens montes sicut ipse.* h. e. ejus tempore nullus erat, qui tanta ac ipse præstaret. Cf. Buxtorfii Lex. maj. in vocabulum עקר. Lightfoot Horæ Hebraicæ in Evang. Matt. c. XXI, v. 21. Schoetgenii Horæ Hebraicæ et Thalmudicæ in N. T. in Matth. XXI, v. 21. Atque ex hoc usu loquendi videntur explicanda esse verba S. Pauli I Cor. XIII, 2. *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam,* q. d. si prodigia vel maximè stupenda patrarem etc. Verba tamen Christi Salvatoris (Matth. XVII, 19) : *si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, et transibit* etc., non ex proverbiali illâ loquendi ratione putem esse explicanda, sed intelligenda uti sonant.

NOTÆ MISCELLANEÆ.

IN CAP. III.

FABULÆ ET PARABOLÆ.

Pag. 33. v. 1.

אין — החסד. Sensus : nullum esse gaudium quod conferri possit cum gaudio de rectè facto. Ad quam sententiam elucidandam sequens ficta historia adfertur. Habet autem ea fabula auctorem Gessnerum Poetam Germanum, qui patrio idiomate eam conscripsit; hebraica autem ejusdem liberior interpretatio, quam in Chrestomathiâ nostrâ recudendam curavimus, debetur Friedlandero Judæo; editaque in lucem primò fuit anno 1784 in Ephemeridibus litterariis המאסף inscriptis.

Pag. 41. v. 7.

הלא hic est tantumdem ac הִנֵּה, eamdemque significationem passim obtinet in S. Codice; hinc in LXX virali versione sæpe τὸ הלא per ἰδὲ redditum invenias. Nollem tamen dicere cum Hart-

manno (1) non nisi in posterioribus S. Scripturæ libris הלא pro הנה usurpari. Quid enim? Nonne Jobi c. I, v. 10. τo הלא pro הנה adhibitum esse agnoscendum est?

Obiter hic observare juvat apud Rabbinos etiam occurrere הלא לא pro הנה לא, ubi certam sententiam sed negativam exprimere volunt. Sic v. g. Rashi ad locum Geneseos Cap. XVIII, v. 20, ait : והלא לא הלך לעמוד לפניו ; אלא הקב"ה בא אצלו, ואמר לו: זעקת סדום ועמורה כי רבה ; והיה לכתוב: וה' עודנו על אברהם ; אלא תקון סופרים הוא זה. h. e. *Profectò non abivit ut staret coram eo; verum Deus Sanctus, benedicatur illi, venit ad eum, et dixit ei : Clamor Sodomæ multiplicatus est*; *itaque scribendum fuisset : et Dominus adhuc stabat coram Abrahamo*; *verum habetur hic correctio scribarum* (2).

(1) *Linguistische Einleitung in das Studium der Bücher des A. T. mit einer Anwendung auf die jüdisch-palästinische Schreibart der N. Testamentlichen Schriftsteller von Anton Theodor Hartmann D. und Professor der Theologie in Rostock.* Bremen, 1818, p. 365.

(2) In *Thesauro Novo Theologico-Philologico sive sylloge dissertationum exegeticarum ad selectiora atque insigniora Veteris et Novi Testamenti loca*, vol. I, p. 1. legitur dissertatio Johannis Meyeri *de vero sensu* תקון סופרים *quæ vulgò dicitur* correctio scribarum, *in 18 scripturæ dictionibus adhibita.* Cujus dissertationis summam dat ipse auctor hanc : Tikkun Sopherim non est 18 dictionum mutatio, vel textûs corrupti correctio et restitutio, vel mendarum emendatio, sed ordinatio, et directio *Scribarum* sive virorum Synagogæ magnæ, in quorum censu Esra cum ultimis Prophetis,

Pag. 46. v. 2.

אלהי. Auctor verò meus hìc scripsit אלקי; ac consultò, nescio quâ superstitione imbuti, scriptionem etiam alterius nominis Dei יהוה simili modo corrumpere solent Judæi. Itaque in horum libris passim invenias pro אלהים scriptum אלקים et אלדים; pro יהוה verò ידוד, יהוד aut ידוה. Cf. Buxtorfii Dissert. Philol. Theol. diss. V, pag. 255, laudata a Jehring (1); qui observat indè pariter fieri ut, etiam in scriptione aliarum vocum, a concursu litterarum ה et י, quæ partem aliquam divini constituunt nominis, sibi caveant, ne ignominiosè tractari illud possit. Undè quoque in numeris pro יה (15) scribunt טו (9+6). Sic nec audent, ex eâdem superstitione (quid enim? non-ne ità colunt litteras et calami ductus?), delere litteras nominis יְהוָה, si fortè per errorem sunt scriptæ, uti ex illorum scriptis tradit Schickhardus in *Jure Hebræorum*, Cap. II. Theor. II. § XI, ibique Joh. Bened. Carpzovius in not. *r*. pag. 119. Addit idem Jehring : imo nefas esse sibi persua-

sive posteriorum Magistrorum, quâ admonuerunt lectorem, Scripturas ἰυφημίαν adhibuisse, sive ipsum Mosem et Prophetas in 18 dictionibus, quum aliter esset scribendum, quam contextus præ se ferret, stylum suum mutasse, quòd indecens videretur divinæ majestati, si recto et solito stylo istæ scriptæ fuissent.

(1) In *observatione de locis quibusdam Pentateuchi et libri Estheræ*, quæ legitur in Bibliothecæ Historico-Philologico Theologicæ classis quintæ fasciculo sexto.

dent delere litteras, quæ nominibus divinis a fine adhærent, velut affixum ך in אלהיך, e òquòd a nomine אלהים sanctificentur, dum in resectæ finalis litteræ locum succedunt. Cf. *Schikhardus in diss. sub tit.* Alphabetum Davidicum Psalm. XXV expressum.

De vocabulis Kabbalisticis כוזו במוכסז pro יהוה אלהינו et מצפץ pro יהוה dicturi sumus ubi sermo erit de Kabbalâ.

Pag. 47. v. 10.

יברכהו צורו Benedicat ei rupes ejus. Alibi invenias per compendium scriptum : יצ״ו h. e. יְשְׁמְרֵהוּ צוּרוֹ וְגֹאֲלוֹ *custodiat eum rupes ejus et redemptor ejus.* Rupes, i. e. Deus, qui sæpè sic vocatur, ut in illo : 2 Sam. c. 22, v. 32. מִי צוּר מִבַּלְעֲדֵי אֱלֹהֵינוּ *Quis rupes, nisi Deus noster.* Item Ps. 19, v. 15. יְהוָֹה צוּרִי וְגֹאֲלִי *Dominus rupes mea et redemptor meus.* Solent autem Judæi phrasin יצ״ו subjicere nomini viventis alicujus quem commemoraverunt. Litteram ו in compendiosâ scriptione יצ״ו quidam explicant וִיחַיֵּהוּ. *Et in vitâ conservat eum.* Viventis nomini commemorato subjiciunt etiam hoc : יז״יא h. e. יִרְאֶה זֶרַע יַאֲרִיךְ יָמִים אָמֵן *Videat semen, producat dies vitæ, Amen*; quod in titulis librorum frequens

est. Buxtorfius de abbreviaturis p. 96 et 99 in Ed. Basileensi 1640.

Pag. 48. v. 2.

יהבך השלך. Verba hæc desumpta sunt ex Ps. LV, v. 23. Vocabulum autem יהבך non est, ut aliquibus placuit, reddendum : *dedit tibi,* (subintellecto sc. pron. אשר, et ך sumpto pro לך); יהב enim substantiva vox est cum affixo secundæ personæ, notatque idem quod טורח *onus*, in sensu tropico, *cura, sollicitudo.* Et quidem ad significandum *onus*, hìc in nostro loco adhibetur; ad *curam* verò vel *sollicitudinem* notandam occurrit in laudato loco Psalmi; ut adeò rectè reddita sit illa sententia in Vulgatâ, in quâ lego : *Jacta super Dominum* curam *tuam.* Commemoratur hujus loci interpretatio, qualem in Vulgatâ legimus, in antiquo et hucusque inedito R. Parchonis Lexico, cujus specimen edidit Joh. Bern. de Rossi (1). Sic autem ad vocabulum יהבך scribit

(1) Lexicon Hebraicum selectum quo ex antiquo et inedito R. Parchonis Lexico novas ac diversas rariorum ac difficiliorum vocum significationes sistit Joh. Bern. de Rossi Ling. or. Professor. Parmæ. 1805, p. 22. Mortuus est doctissimus De Rossi, sacerdos Romano-Catholicus, et inter *Orientalistas* contemporaneos nomen celeberrimum, anno 1831, ætatis suæ octogesimo nono. Opera edidit vir indefessi studii quamplurima, quorum ea, quæ ad litteras Orientales et S. Scripturæ studium spectant hìc recensere lectoribus meis non ingratum fore existimavi. Sunt autem sequentia :

I. De præcipuis Caussis ne-

Parchon : פ' יהב לך פ"א טורח שלך h. e. Interpretatio est : *dedit tibi*; alia interpretatio : *onus tuum*.

glectæ heb. litterarum disciplinæ, ubi de beb. textu et versionibus, 4. Taurini 1769.

II. Della Lingua propria di Cristo e degli ebrei palestini, 4. Parma 1772.

III. Trattato della vana aspettazione degli ebrei dal compimento di tutte le epoche fissate dal sacro testo e dalla tradizione, 4. Ib. 1773.

IV. Esame delle Riflessioni contro il libro della vana aspettazione, ib. 1776.

V. De hebraicæ Typographiæ origine ac primitiis, 4. ib. 1776, et 8. Erlangæ 1778.

VI. Specimen ineditæ et bexaplaris Bibliorum versionis syroestrangbelæ cum Diatriba de cod. ambrosiano, 4. maj. Parmæ 1778, et in 8. Lipsiæ et Rostocbii 1793.

VII. De Typographia beb. ferrariensi Commentarius, ubi de Bibliis illic excusis, 8. Parmæ 1780, et Erlangæ 1781.

VIII. Annali ebreo-tipogr. di Sabioneta, dove si tratta delle varie edizioni bibliche di quella città, 4. Parma 1780, e in 8. in latino Erlanga 1783.

IX. Specimen variarum lectionum sacri textus et chaldaica Estheris Additamenta ex codice Pii VI cum Appendice de codice tritaplo samaritano bibl. Barberinæ et Fabricy Diatriba, 8. Romæ 1782 et Tubingæ eod. anno.

X. De ignotis antiquissimis sacri textus editionibus et Appendix ad Bibliothecam sacram, 4. Erlangæ 1782.

XI. Apparatus hebræo-biblicus, 8. Parmæ 1782.

XII. Variæ Lectiones V. T. ex immensa mss. editorumque codicum congerie cum Prolegomenis, ac Supplementis, 4. maj. 3 voll. ib. 1784-1798.

XIII. Scbolia critica in V. T. libros seu Supplementa ad Varias sacri textus Lectiones seorsim, 4. maj. ib. 1798.

XIV. Annales hebræo-typographici sec. XV, ubi fuse illustrantur beb. editiones sacri textus ejus ævi cum Diss. prælim. 4. maj. ib. 1795.

XV. Annales beb. typogr. ab an. MDI ad MDXL, 4. maj. ib. 1799.

XVI. Bibliotbeca judaica antichristiana, 8. ib. 1800.

XVII. Dizionario storico degli autori ebrei e delle loro opere, ove s' illustrano le Bibbie rabbinicbe, la Masora o critica sacra, e gli anticbi e moderni commenti della nazione, 8. 2 voll. 1802.

XVIII. Manuscripti codices be-

Eamdem interpretationem legere est etiam in libro radicum R. David Kimchi, qui ad vocabulum יהבך hæc scribit : השלך על יהוה יהבך; כלומר אשר נתן לך עד היום; השלך עליו צרכך והוא יכלכלך, כמו שכלכלך עד הנה. או יהבך שם;

braici et aliarum linguarum biblioth. auctoris, inter quos innumeri biblici, accurate descripti et illustrati, 8. ib. 3 voll. 1803-1804.

XIX. Lexicon hebr. selectum ex antiquo et inedito Parchonis 8. ibid. 1805.

XX. R. Emmanuelis Scholia in selecta loca Psalmorum ex ined. ejus comm. heb. lat. 8. ib. 1806.

XXI. Dizionario storico degli autori arabi, 8. ib. 1807.

XXII. Synopsis institutionum hebr. et perbrevis Anthologia complectens sapientiæ laudes et excerpta historiæ Josephi, 8. ib. 1807.

XXIII. I Salmi di David tradotti dal testo originale con note, 12. ib. 1808.

XXIV. Annali ebreo-tipogr. di Cremona, 8. ib. 1808.

XXV. L' Ecclesiaste di Salomone tradotto dal testo orig. 12. ib. 1809.

XXVI. Memorie storiche degli studj dell' autore che danno un quadro delle opere di letteratura biblica ed or. da lui intraprese, 8. ibid. 1809.

XXVII. Compendio di critica sacra e Piano di una nuova ediz. del sacro testo, 8. ib. 1811.

XXVIII. Libri di letteratura sacra, ebr. ed or. della bibliot. dell' autore, 8. ib. 1812.

XXIX. Il Libro di Giobbe tradotto dal testo orig. con note, 12. ib. 1812.

XXX. I Treni di Geremia tradotti dall' orig. 12. ib. 1813.

XXXI. I Proverbi di Salomone tradotti dal testo orig. 12. ib. 1815.

XXXII. Introduzione allo studio della lingua ebrea, 8. ib. 1815.

XXXIII. Introduzione alla sacra Scrittura che comprende le prenozioni più importanti relative ai testi orig. c. alle loro versioni, 8. ib. 1817.

XXXIV. Sinopsi della ermeneutica sacra o dell' arte di ben interpretare la sacra Scrittura, 8. ib. 1819.

כלומר: מתנותיך השלך אל י״י (1) והוא יכלכלך. ורבותינו ז״ל פירשוהו לשון משא וטעינה. לקחוהו מלשון ארמי, באמרם (ראש השנה כו, ע״ב.): לא הוו ידעי רבנן מאי השלך על י״י יהבך; שמעוה להוא טייעא דקאמר להוא גברא: שקול יהבך ושדי אגמלאי. h. e. Jacta super Dominum יהבך ; quasi dictum esset : id quod largitus est tibi usque ad hanc diem ; jacta super illum necessitates tuas et ipse te enutriet, sicuti enutriit te huc usque. — Vel יהבך est nomen substantivum ; quasi dictum esset : dona tua jacta super Dominum et ipse te enutriet. Verum Magistri nostri, quorum memoria sit in benedictione, explicarunt (vocabulum יהב) illud per משא *onus* et *pondus*. Didicerunt id a linguâ Aramæâ. Res sic narratur (in tractatu Talmudico Rosh hasshana) : nesciebant Magistri nostri quid significarent verba : השלך על י״י יהבך ; didicerunt illud a negotiatore Arabo quodam qui dixit cuidam viro : שקול יהביך (*sume onus tuum*) et projice super camelum meum.

Pag. 49. v. 6.

בני האדם. Parabolam seu similitudinem satis pulchram quam hìc damus, invenimus impressam ad calcem libri qui inscribitur : Malachias

(1) In Ed. Venetâ legitur hìc כי הוא יתנם לך והוא יכלכלך.

propheta illustratus auctore Stephano Isaaco Levitâ, Coloniæ 1563. In eâdem tractatur, in quot varias classes homines dividantur, et quibus comparentur. « Ne pagellæ quædam vacuæ relinquerentur, ait ejus parabolæ editor, consilio cujusdam studiosi Hebraicæ linguæ, pauca quædam, eaque perjucunda, sine punctis, sineque interpretatione hùc adjicienda curavi. » Sed quis hujus parabolæ auctor sit, aut ex quo libro eam desumpserit, non commemorat editor, neque nos scimus. —

Ibid.

למה הם דומין. Parabolæ seu similitudines, quæ quam frequentissimè occurrunt in Magistrorum scriptis, non uno modo in seriem orationis introducuntur. Ac mihi quidem incumbenti eorum scriptis sequentes occurrerunt : אמשל למה הדבר דומה אדם הראשון דומה לאדם אחד וכו' Atque ita inserta legitur parabola in ספר אהבת חסד (Ed. Amstelod.) tum alibi tum etiam p. ד. Paginâ verò כו ejusdem operis ita lego : אדם שיש בו מעשים טובים ולמד תורה הרבה, למה הוא דומה? לאדם שבונה וכו'. Porrò in ילקוט שמעוני in Ps. 1. Ed. Francof. p. פט, Columnâ 1. hunc parabolam inserendi modum inveni : למה לא ברכו? משל למלך שהיה וכו' : Alius modus (Ps. 2, v. 12) : כי יבער כמעט אפו : משל למה הדבר דומה למלך שכעס וכו'.

Sæpè invenias simpliciter illam formulam למה הדבר דומה, quæ communiter per compendium scribendi effertur sic : לה"ד. Videsis ילקוט שמעוני in Genesin. p. ב, ad verba : והארץ היתה תוהו Invenias etiam : מלה"ד h. e. משל למה הדבר דומה

Pag. 52. v. 2.

הִכָּנֵס. נכנסו לאי quod *colligi, coadunari* notat, si cum præpositione אל vel ל construitur, simpliciter notat *ire, pergere ad aliquem, in aliquem locum.* Atque huic phraseologiæ respondet Græca Matth. 27, 62, συνάγεσθαι πρὸς. Itaque malè, quod etiam Michaelis alicubi observavit, auctor impius fragmentorum Guelpherbytanorum, ut sublestæ fidei faciat historiam Evangelicam de custodibus ad Christi sepulcrum appositis, ad verba Matth. 27, 62, τῇ δὲ ἐπαύριον συνήχθησαν οἱ Ἀρχιερεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι πρὸς Πιλάτον κ. τ. λ. notat, incredibile videri *universum* synedrium coadunatum *unà* Pilatum adivisse. At verò non dicuntur hìc synedristæ *simul* ivisse ad Pilatum, sed tantum ivisse, h. e. eorum aliquos legatos ad Pilatum misisse, sicuti in ejusmodi rerum circumstantiis fieri solet. Nam συνάγεσθαι πρὸς sive הכנס cum אל vel ל non notat necessariò *simul ire*, sed tantùm *ire ad aliquem*, vel *in aliquem locum;* sic v. g. in ילקוט שמעוני in Leviticum,

p. קיד habes hæc: מלה״ד למלך שנכנס למדינה וכו׳ h. e. *simile, cui res hæc comparatur: regi sc. qui ivit in civitatem.* Ubi nota נכנס cum præp. ל de uno dici, quo certo argumento probatur eâ phrasi non necessariò indicari plurium coadunationem. Sic in Talmude, Tract. ברכות C. 9, Mishnâ IV, legitur: הנכנס לכרך מתפלל שתים h. e. *qui urbem munitam ingreditur bis precatur* etc. Verùm res notissima est unicuique qui Rabbinicas litteras vel a limine salutavit.

Pag. 56. v. 1.

אל תדין. Sententia quæ in fronte hujus fabulæ legitur auctorem habet R. Hillelem, ut constat ex Tractatu Talmudico פרקי אבות פרק ב׳, ubi et hæc inter sententias ab Hillele prolatas legitur. Fabulæ verò, quæ huic sententiæ subjicitur, ut Hilleliani axiomatis veritas in majore luce ponatur, auctor est Germanus nescio quis (Gellert?), uti patet ex ejus inscriptione: משל נעתק מלשון אשכנזית h. e. fabula ex Germanico idiomate (hebraicè) reddita. Legitur autem hebraica hæc interpretatio in Ephemeridibus litterariis המאסף inscriptis, ejusque auctor est ישראל קלייא.

Fabulam aliquo modo similem ei quam hìc damus legi in libro qui inscribitur ספר אהבת חסד p. ד, quem librum jam suprà commemoravimus. Quam, quia gratum id fore existimamus nostris

lectoribus, hìc subjicimus; interpretationem tamen Latinam non addimus, quia verba Hebraica faciliora sunt, quam ut eâ indigere videantur:

ר״ש בן יוחי אומר: אמשול לך משל למה הדבר דומה אדם הראשון. דומה לאחד שהיה לו אשה בתוך ביתו. מה עשה אותו האיש? הלך והביא את החבית והניח בו תאנים במנין ואגוזים במנין, וצד את העקרב, ונתנו על פי החבית, והקיפה בצמיד פתיל, והניחה בקרן זוית. אמר לה: בתי! כל שיש לי בבית הזה מסור בידך, חוץ מחבית זו, שלא תגעי בה כל עיקר. מה עשתה האשה ההיא? כיון שיצא בעלה לשוק, עמדה ופתחה את החבית, והושיטה ידה לתוכו, ועקצתה עקרב. הלכה לה ונפלה על המטה. כיון שבא בעלה מן השוק אמר לה: מה זה? אמרה לו: ידי הושטתי על החבית ועקצתני עקרב, והריני מתה. אמר לה: לא כך אמרתי לך מתחלה: כל מה שיש לי בבית זה מסור בידך, חוץ מחבית זו, שלא תגעי בו (1) כל עיקר? מיד כעס עליה והוציאה.

Pag. 58. v. 3.

ובכל זות *Attamen;* ut suprà pag. 48, v. 7. עם כל זות. Ex quibus exemplis et aliis pluribus,

(4) Genus in affixis passim neglectum est.

quæ facili negotio coacervari possent, constat locutionem hanc habere vim limitandi et temperandi sententiam cui subjicitur. Existimo autem in verbis ἀλλά γε σὺν πᾶσι τȣτοις (Lucæ XXIV, v. 21), agnoscendum esse Hebraismum, quo essent ea verba Græca ipsissima phrasis Hebraica : עם כל זות. Atque ità, salvo meliore judicio, non putem verba Lucæ suprà laudata explicanda esse, ut fecit Menochius, qui ad hunc locum hæc scribit : « *Super hæc omnia*, Σὺν πᾶσι τȣτοις, *cum his omnibus, præter hæc omnia*, scilicet mortem ejus ignominiosam, illud accedit quod jam dies est tertia, et non resurrexit; quare vix ulla nobis superest spes fore ut resurgat. » Eodem sensu eum locum explicat Maldonatus : « Quid est *super hæc omnia*, nisi : præterquam quòd fieri posse non videtur, ut mortuus resurgat, accedit quòd tertia jam post mortem est dies, et non resurrexit, ut nulla reliqua spes esse videatur fore ut resurgat. »

Mihi vero tantum abesse videtur ut per verba : ἀλλά γε. σὺν πᾶσι τȣτοις κ. τ. λ. discipuli illi desperationem suam significent, ut contrà putem ipsis hisce verbis voluisse eos aliquâ ratione corrigere quæ desperanter locuti fuerant dicentes : ἡμεῖς δὲ ἠλπίζομεν, κ. τ. λ. Atque hoc omninò requirere videntur verba : ἀλλά γε σὺν πᾶσι τȣτοις, quæ, collatis iis quæ supra de Hebraismo συν πασι τȣτοις diximus, reddenda putem : *attamen*. Sic ἀλλά γε pro *sed*

occurrit I Cor. IX, 2. Εἰ ἄλλοις ὐκ εἰμὶ ἀπόστολος, ἀλλά γε ὑμῖν εἰμι. Vulgata : ***Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum.***

Itaque per phrasin ἀλλά γε κ. τ. λ. exprimunt spei suæ de Christo in vitam redituro rationem *unam*, cui *alteram* adjungunt per phrasin mox sequentem v. 22 : ἀλλά καὶ κ. τ. λ. Et non supervacaneum forsan erit hìc animadvertisse, quum phrasis ἀλλά καὶ κ. τ. λ. rationem sperandi exprimat, necesse esse, attentâ significatione locutionis ἀλλά γε — ἀλλά καὶ, ut etiam in phrasi ἀλλά γε aliqua sperandi ratio significetur.

Putem ergo eum Lucæ locum sententiam exhibere hanc : Jesum Nazarenum crucifixerunt. Nos autem nihil tale expectabamus (1). Contrà, sperabamus fore ut ipse redempturus esset Israel. Attamen nondum præteriit sed agitur adhuc illa dies, quâ dixit se rediturum in vitam; tum non parum commoverunt nos mulieres quædam ex nostris, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, nec corpus ejus invenerunt, dixeruntque se Angelos vidisse qui affirmarent eum vivere. Quidam autem ex nostris iverunt ad monumentum,

(1) Quod neutiquam putarent ignominiosâ morte Christum e vivis auferendum esse, id satis patet vel ex redargutione Christi : *Nonne hæc oportuit pati Christum* (Luc. XXIV, 26). Ac falsa hæc persuasio tantum hìc reprehenditur, non verò modica fides, quam habebant Christo, qui se resurrecturum prædixerat.

et rem comperêre sicut mulieres retulerant. Quare non omni spe sumus destituti (1).

Quod si rem psychologicè considerare velimus, non admodum verisimile videtur, discipulos Emmauntæos ideò spe suâ de resurrecturo Christo dejectos fuisse, quòd, quo tempore a Jerusalem in castellum Emmaus pergebant, nondum certam notitiam de resuscitato Christo acceperant. Quid enim? Nonne quæ vehementer cupimus, etiam quodammodo pertinaciter sperare solemus futura, ut certè animum non despondeamus quamdiù aliqua ratio spei affulserit? Quod si hoc, quis credat, de resurrecturo Magistro discipulos spem abjecisse, quo tempore nondum præterlapsum erat ea dies, quâ ad vitam se rediturum ipse prædixerat; præsertim, quum non dubitarent quin vacuum corpore esset monumentum, et talia retulissent mulieres ipsis notissimæ, quæ, utut fidem plenam iisdem non adhibuissent, vehementer tamen ipsorum animos perculerant.

Pag. 62. v. 7.

באהבתו. Significaveram suspectam mihi esse scriptionem hujus vocabuli de errato typographico: verum suspicionem sustulit locus Gen. XXIX, v. 20,

(1) Sermonem Discipulorum, quem nobis S. Lucas refert, nemo non animadvertit parum-per abruptum esse et minus concinnum, qualis esse solet mœstorum. Cf. v. 17.

ubi pariter lego : באהבתו אותה. Itaque dicendum est אַהֲבָה esse Infinitivum verbi אהב cum additione litteræ ה, ut disertis verbis docet Kimchi in suo ספר השרשים ad vocem אהב, ubi, postquam de nomine substantivo אַהֲבָה egit, ita pergit : אבל לְאַהֲבָה אֶת יְיָ אֱלֹהֶיךָ (דברים יט״, ט׳.), בְּאַהֲבָתוֹ אוֹתָהּ (בראשית כט״, כ׳.), מקור בתוספת ה״א. Exemplis a Kimchio laudatis adde Hoseæ C. III, v. 1. כְּאַהֲבַת יהוה את בני ישראל. Quod autem verbi Infiniti formam cum additâ He vocat Kimchi, id recentiores ferè *nomen verbale* appellant, idque rectius, meo quidem judicio. De *nominibus verbalibus* hìc conferas Gesenii Lehrgebäude § 178, 2. p. 688.

Pag. 64. v. 3.

חי נפשי. Invenias in S. Codice constanter scriptum חֵי ubi de creaturâ sermo est; ubi vero de Deo non חֵי sed חַי perpetuò scribitur. Cujus diversæ scriptionis rationem affert Maimonides in suo tractatu (1) inscripto : הלכות יסודי התורה h. e. *sententiæ de fundamentis legis*. Cap. 2. ubi hæc habentur :

(1) Tractatus hic est prima pars libri המדע inscripti, qui ipse primus est ex quatuordecim quibus constat opus celeberrimum Maimonidis, cui יד חזקה titulus est.

כל הנמצאים חוץ מן הבורא, מצורה הראשונה עד יתוש קטן, שיהיה בטבור הארץ, הכל מכח אמתתו נמצאו. ולפי שהוא יודע עצמו ומכיר גדולתו ותפארתו ואמתתו, הוא יודע הכל, ואין דבר נעלם ממנו.

הק״בה מכיר אמתתו ויודע אותה, כמו שהיא; ואינו יודע בדעה שהיא חוץ ממנו, כמו שאנו יודעים; שאין אנו ודעתנו אחד. אבל הבורא ית׳ הוא ודעתו וחייו אחד מכל צד ומכל פנה ובכל דרך ייחוד. שאלמלא היה חי בחיים ויודע בדעה חוץ ממנו, היו שם אלוהות הרבה, הוא וחייו ודעתו. ואין הדבר כן; אלא אחד מכל צד ומכל פנה ובכל דרך ייחוד.

נמצאת אתה אומר, הוא היודע, והוא הידוע, והוא הדעה עצמה, הכל אחד.

ודבר זה אין כח בפה לאמרו, ולא באזן לשמעו, ולא בלב האדם להכירו על בוריו. ולפיכך אומר: חי פרעה, חי נפשך; ואין אומר: חי ה׳, אלא חי ה׳; שאין הבורא וחייו שני׳, כמו חיי הגופים החיים, או כחיי המלאכים.

לפיכך אינו מכיר הברואים ויודעם מחמת הברואים, כמו שאנו יודעים אותם; אלא מחמת

עצמו יודעם; לפיכך מפני שהוא יודע עצמו, ידע הכל; שהכל נסמך בהויתו לו.

h. e. Entia quæcumque præter Creatorem, a creaturâ præstantissimâ (1) usque ad minimum (2) reptile quod est in gremio terræ, per potentiam ejus veritatis existunt; et quia ipse cognoscit semetipsum, et intelligit excellentiam, gloriam atque veritatem suam, ideò cognoscit omnia, et nihil est ei absconditum.

Deus sanctus, laudetur, intelligit veritatem suam, et cognoscit eam, uti reapse est; neque intelligit notitiâ distinctâ a seipso, uti nos cognoscimus; quia nos et intellectus noster non sunt unum : sed Creator, laudatus sit, ipse, intellectus ejus, vitaque ejus sunt unum omni modo, respectu atque ratione unitatis. Nam si viveret per vitam, atque intelligeret per notitiam distinctas a se ipso, essent tum Dii plures, sc. ipse, et vita ejus et intellectus ejus; sed nihil tale hìc locum habet; cum unus sit ex omni parte, omni ratione ac modo unitatis.

Itaque dicas : ipse est et intelligens et intelligibile et ipsamet cognitio, omnia hæc unum sunt.

(1) Vorstius qui tractatum *de fundamentis legis* separatim edidit Amstelodami 1638, additâ interpretatione latinâ, quam hìc ferè damus, vocabula מצורה הראשונה reddidit : *a primâ formâ*, quod subobscurius est.

(2) Si *minimum* reptile dicere voluit Maimonides, an severior Grammatica non postulasset הקטן?

Hæc autem res non potest ore proferri, nec auribus usurpari, aut mente hominis perspicuè comprehendi; et propterea legimus (Gen. 42, 15) *per vitam Pharaonis*, et *per vitam animæ tuæ;* non verò *per vitam Dei*, sed *vivit Deus;* idque quia creator ejusque vita non sunt duæ res, sicut vita corporum viventium, aut vita angelorum (1).

Idcirco non cognoscit neque intelligit creaturas (2) per creaturas, uti nos apprehendimus eas, sed per semetipsum; et quia (3) seipsum intelligit, ideò etiam cognoscit omnia; cujuslibet enim rei essentia in ipso fundata est. »

Pag. 64. v. 4.

התלוננת. Forma *Hithpah.* a לון in S. Codice non occurrit nisi in significatione *pernoctandi.* Nostrum autem התלוננת reddendum est : *murmurasti;* in hâc vero significatione in S. Scripturâ occurrit ejus verbi forma Niphal נִלּוֹן. A diversis radicibus *murmurandi* et *pernoctandi* significa-

(1) Vorstius postrema verba sic reddidit : ideò dicit : *vitæ Pharaonis* et *vivit anima tua;* non verò dicit : *vitæ Domini* sed *vita Domini;* quia creator ejusque vita non sunt duæ res etc. Quæ nullum habent intellectum.

(2) מחמת passim Lexicographis est *propter;* hic autem omninò videtur significare *per.*

(3) Vorstius reddidit : *qualenùs seipsum intellegit.* At מפני ש' nunquam *qualenùs* notat.

tiones proficisci innuit Julius Furst, in concordantiis Bibliorum Hebraicorum, quæ nunc in lucem eduntur.

Pag. 65. v. 2.

בחפזו. Sic omninò legendum puto, non בחפצו cum צ. Verum tamen est Jobi XL, 17 legi יחפץ pro יחפז, uti observat Kimchi (in ספר שרשים ad vocabulum חפץ). Sunt tamen qui istud יחפץ in laudato loco ita explicant, ut sumatur in significatione *cupiendi* seu *volendi*, juxta quam adeò interpretationem in laudato Jobi loco minimè יחפץ pro יחפז scriptum esset, ut Kimchio placet Cf. Rosenmuller in Jobi c. XL, 17.

Pag. 68. v. 8.

אריה וכו'. Superiorem fabulam exscripsimus ex Ephemeridibus Hebraico sermone exaratis quibus titulus est המאסף. Tres autem sequentes fabulæ desumptæ sunt ex משלי שועלים *parabolis vulpium*, quæ auctorem habent Rabbi Berachia Hannakdan (רבי ברכיה הנקדן), cujus ætatem refert Bartoloccius (Bibliothecæ Rabbinicæ T. I, p. 699) in annum 1400; sed de hâc assertione dubitandum fuerit, ait Wolfius (Bibliothecæ Hebreæ Vol. III, p. 165), si quidem filius ejus extiterit R. Elias Hannakdan, qui codicem biblicum Berolinensem an. 5094, i. e. C. 1334 absolvit. Ex variis ejus libri editionibus usus sum ego editione Be-

rolinensi anni (1) להבין משל ומליצה דברי חכמים וחידותם לפ"ק h. e. A. C. 1756. Quæ editio Wolfium latuisse videtur. Ferunt Bartoloccius. et Wolfius elaboratam esse harum fabularum interpretationem Latinam a Melchiore Hanel Presbytero e Societate Jesu, et typis Pragensibus in Collegio Societatis

(1) Litteræ majori formâ expressæ pro numeris habendæ sunt; qui computati annum dabuut editionis. Quocirca hic nota ex Guarino Presbytero et Monacho ordinis S. Benedicti in Hebraicis litteris versatissimo, Rabbinos annos vulgò computare a mundi creatione; a quo tempore ad annum v. g. 1726 numerant annos 5486. Nos verò, si Christum anno 4000 exeunte natum ponamus, numeramus 5726, adeò ut computatio nostra Judaicam annis 250 súperet. Hinc 240 illi anni Judaicis, ut nostris respondeanl, semper addendi sunt. Non solum autem Rabbinica numerandi ratio 240 annis nostra minor est, verùm etiam millenarii in eâ brevitatis causâ sæpè abjiciuntur; tuncque additur לפ"ק, hoc est: לִפְרַט קָטוֹן *secundum supputationem minorem;* sic v. g. Grammatica Kimchi dicta Michlol, quâ utimur, Impressa est Venetiis apud Danielem Bombergum, an. ש"ה לפ"ק h. e. 305 secundum computationem minorem, id est, mundi 5305 secundum æram Judaicam, secundum nostram verò, 1545. Si enim summæ annorum 305 addas millenarium a Christi nativitate elapsum, et 240 annos, qnibus Æra nostra Rabbinicam superat, habebis annos 1545. E contrario, cum anni ab orbe condito (quo casu subjiciunt litteris numerum notantibus: לב"ע h. e. לִבְרִיאַת עוֹלָם *post creationem mundi*) exprimuntur; ut anni Christi habeantur, summæ annorum a creatione mundi elapsorum addendi sunt 240, et ex summâ illâ anni 4000 trahendi; sicque dabitur Æræ Christianæ annus. V. G. Kimchi floruit anno mundi 4950, secundum Tsemach David, vel 4952 secundum Shalsheleth Hakkabbala; bis annis addantur 240, erunt 5190 vel 5192; e quibus deducantur 4000 anni, supererunt 1190 vel 1192, qui sunt anni Æræ Christianæ, quibus floruit Kimchi. Judæi ab orbe condilo ad Christum natum vulgò numerant annos 3760. —

ad S. Clementem anno 1652 evulgatam; quam interpretationem tamen mihi videre non contigit. Magnis laudibus *fabulas vulpium* effert Lodovensium Episcopus Plantavitius (1). Earum fabularum auctorem dicit eloquentiam et puritatem linguæ passim ostendere, multiplici dicendi ratione abundare, et flumen quoddam insigne in prosâ rhytnicâ et carmine profundere; fabulas autem ipsas in se recondere miram morum eruditionem; inventione minimè cedere apologis Æsopicis, sed eosdem elegantiâ longissimè superare.

Licet autem apologi hi inscribantur *fabulæ vulpium*, tamen non vulpes tantum ibi in scenam producuntur, sed quævis alia animalia, et nonnumquam etiam homines.

Pag. 70. v. 6.

כאוהבים. Particula כ hic non est *Caph similitudinis*, sed *Caph veritatis* (כ׳ האמתות), vel *Caph confirmationis* (כ׳ הקיום), aut *Caph identitatis* (כ׳ העצם), ut loquuntur Hebræi Grammatici. Kimchii Michlol fol. 15, apud Gesen. Lehrgeb. p. 846; ejusmodi כ per Hebraismum facilè agnoscere est in particulâ ὡς (in vulgata *quasi*) quæ occurrit in Evangelii S. Joannis C. 1, v. 14: *ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ*

(1) In suâ Bibliothecâ Rabbinicâ ad artic. משלי שועלים.

πατρὸς h. e. *Gloriam illius qui verè unus a Patre genitus est.*

Pag. 73. v. 4.

נחל קדומים. Sic Judic. V, 21. vocatur torrens Kishon; cur קדומים vocetur in binas sententias abeunt interpretes. Videsis C. F. Schnurreri, Dissertationes Philologico-Criticas, Gothæ 1790, p. 78; Maureri commentarium criticum in V. T. Lipsiæ 1835, Vol. I, p. 134. Cf. etiam Wineri Lexicon i. h. v. Præplacet mihi ea sententia cui נחל קדומים est *torrens antiquus, jam indè ab antiquis temporibus celebratus;* cui interpretationi concinunt LXX, quibus נחל קדומים est χειμάῤῥους ἀρχαίων. In alterâ sententia נחל קְדוּמִים est *torrens pugnarum, prœliorum.* — Auctori vero nostro נחל קדומים est *torrens* (antiquitatum, prioritatum) *prior.*

Pag. 76. v. 7.

משל המלך וכו. Parabola hæc, quæ habetur in Gemarâ Hierosolymitanâ ad Tract. *Beracoth,* similitudinem aliquam habet cum parabolâ quam legimus Matth. 20. de operariis in vineâ. Sed et alias quasdam parabolas Evangelicas, paucas licet, passim citant auctores (1), a quibus non

(1) Jo. Christoph. Wolfius, in *Bibliothecæ Hebrææ,* P. II, p. 978. Rob. Sheringham in præfatione ad lectorem præmissâ

prorsùs abludunt parabolæ quædam in Talmude obviæ. Occurrunt prætereà in Talmude aliisque Hebræorum libris etiam sententiæ quædam et locutiones proverbiales, quam simillimæ iis quæ in Evangeliis nostris leguntur, uti in notis Miscellaneis ad Cap. II passim observavimus.

Indè nata quæstio est, utrum has sententias et parabolas Salvator Judæis debeat, an contra Judæi Salvatori seu Novi Testamenti libris; de quâ sic ego sentio : quod attinet ad paucas illas sententias aut locutiones proverbiales in N. T. obvias, quarum geminas exhibent scripta Rabbinorum, non video equidem quid impediat, quominus dicamus sententias et locutiones proverbiales has, fuisse ex vulgò notissimis et approbatissimis, quas in docendo aut arguendo Salvator noster sapienter ad suum scopum, veluti arguendo *ex communiter receptis*, adhibuerit. Dicat aliquis : at vernùs nonnumquam conveniunt dicta illa Evangelica cum Rabbinicis; an hoc non suadeat ab Evangeliis nostris ea in Rabbinorum scripta esse derivata? — Non putem; novimus enim sententias et proverbia quæ in ore populi feruntur, etiam ver-

ejusdem interpretationi codicis Talmudici *Joma* dicti; Ed. Franequeriana a. 1696. Lightfoot, *in Horis Hebraicis*, ad Matth. c. XX. G. C. Weise in Diss. *de more Domini acceptos a magistris Judaicis loquendi ac disserendi modos sapienter emendandi;* quæ legitur in Comment. Theologicarum a Velthusen, Kuinoel et Ruperti editarum Vol. V. Lipsiæ 1798. G. A. Van Limburg Brouwer, *de Parabolis J. C.* Lugduni Batav. 1825, p. 83.

botenùs ad seros nepotes ferè pervenire solere; adeòque fieri facilè potuit, ut dicta illa, quæ Christus, uti aiunt, de medio sumpsit, a Judæis Christo coætaneis ad horum posteros etiam verbotenùs transierint; ut mirum videri non debeat aliquas sententias locutionesve proverbiales Evangelicas et Rabbinicas verbotenùs inter sese similes esse.

Sed porrò peto, quid tandem impedit quominus et hoc dicamus, scilicet Christum Dominum qui venerat *non solvere legem sed adimplere* (Matth. V, v. 7.) sententias vel morales vel dogmaticas quæ bonæ frugis supererant in societate Judaicâ sermonibus suis identidem immiscuisse?

Tum, et hoc fieri potuit ut sententiæ quædam inter docendum a Christo prolatæ, vel deinceps commemoratæ ab Apostolis, a Scribis et Pharisæis h. e. litteratis, sint exceptæ, dein ab iisdem usurpatæ, ab horum discipulis arreptæ et aliquando scripto traditæ. Dicere solebat Ben Zouma (1) : איזהו חכם? הלומד מכל אדם. *Quis tandem verè sapiens dicendus est? Is qui abs quovis homine discere paratus est.*

Tandem non videtur esse prorsùs incredibile, Novi Testamenti libros ab uno alterove Magistro fuisse pervolutos, atque ex eâ lectione sententias nonnullas morales et parabolas eorum animo receptas esse, quas deinde, forsan vel ipsis non

(1) In Tract. Talmud. פרקי אבות Cap. 4, primo statim initio.

recordantibus undè eas habuerant, sermone vel scripto usurpaverint.

Quæ hucusque observata fuêre, referri possunt cum ad quasdam sententias morales et locutiones proverbiales, tum ad paucas parabolas quæ in Rabbinorum scriptis occurrunt, et quæ similitudinem majorem minoremve habere dicuntur cum sententiis, proverbiis et parabolis quibusdam, quas in Evangeliis nostris legimus. De Parabolis tamen seorsìm sequentia adhuc notanda duxi.

Ac primò quidem paucissimas esse parabolas Rabbinicas quæ conferri possunt cum Evangelicis; certè ex quo tempore hæc questio tractari cœpit, cœpit autem jam a duobus sæculis et quod excurrit, a viris in litteris Rabbinicis versatissimis quinque vel sex ad summum laudatas invenio. Ego vero nescio quî aliqui Rabbinicas has parabolas non dubitaverint affirmare esse Evangelicis quibusdam quam *simillimas;* quod equidem vehementer nego. Verum age, ut lectores nostri ipsi de re judicare possint, afferam hic laudatarum parabolarum Rabbinicarum tres eas, quæ præ cæteris citantur.

Itaque Parabola prima, quæ quam simillima sit parabolæ (?) de divite epulone et paupere Lazaro (Luc. XVI. 19. 20), hausta est ex Gemarâ Babylonicâ ad Tractatum *Beracoth*, ubi hæc leguntur :

משל למלך בשר ודם , שעשה סעודה גדולה,
וזימן כל בני עירו. בא עני אחד, ועמד על הפתח.

אמר להם: תנו לי פרוסה אחת! ולא השגיחו עליו.
אמר: אדוני המלך! מכל סעודה גדולה שעשית,
קשה בעיניך ליתן לי פת אחת?

h. e. « Parabola (1) de quodam rege carnis et sanguinis (h. e. terrestri, mortali), qui paraverat convivium magnum, ad quod invitaverat omnes concives suos. Venit pauper quidam stansque ad fores (palatii) dixit illis : date mihi frustulum aliquod; illi vero non curarunt eum.. Tunc (ad regem conversus) dixit : Domine mi rex! ex toto convivio magno hoc quod apparasti, durum-ne in oculis tuis dare mihi vel unicam buccellam? »

Secunda parabola, quæ eam referat, quam legimus Matth. 20, de operariis in vineâ, producitur ex Gemarâ Hierosolymitanâ ad Tractatum *Beracoth*. Parabolæ Talmudicæ verba habes in hujus operis Vol. I. P. 1. cap. 3. VIII, quæ Latinè sic sonant :

« Parabola de rege, qui conduxit operarios; eratque ibi operarius aliquis qui labore suo cæteris omnibus præstabat. Quid fecit illi rex? Abstulit (illum a labore suo) ambulavitque cum eo per latum et angustum (hàc illàc). Sub tempus vesperæ conveniunt operarii ad tollendam mercedem suam.

(1) Subjicio verbis Hebraicis interpretationem Latinam meam; nam ea quam Cunradus Otto (Ex-Judæus et deinde apostata) in libro cui titulus גלי רזיא (*revelans occulta*) elaboravit, quæque vulgò circumfertur, liberior et infidelior est.

Adest etiam ille, tollitque (accipit) mercedem integram. Ergo incepêre (cæteri) operarii murmurare et dicere : nos laboravimus per totum diem, iste verò ne per duas quidem horas laboravit hodiè, et tamen mercedem accipit integram. Dixit illi (alicui ex murmurantibus) dominus : laboravit ille (tantum) per duas horas, quantum vos non laborastis per integrum diem. »

Tertia denique parobola, quam conferunt cum Evangelicâ de virginibus quinque prudentibus et fatuis quinque (Matth. 25), desumpta est ex Gemarâ Babylonicâ ad Tractatum *Shabbath*. Legitur ea parabola in hujus operis Vol. 1. P. 1. Cap. I. X. p. 7. v. 5, et Latinè reddita sic sonat :

« Parabola de rege, qui invitavit servos suos ad convivium, sed non statuerat ipsis (certum) tempus. Prudentes inter ipsos exornarunt sese, ac consederunt ad fores domûs regis; dicebant : An aliquid desit domui regis? fatui vero inter illos abierunt ad operas suas; dicebant : num fortè fit (paratur) convivium absque multo labore? Derepentè vocat rex servos suos. Prudentes inter illos venerunt coram eo sicuti erant, ornati sc.; sed et fatui venerunt coram eo sicuti erant, sordidi sc. Tunc gavisus est rex de prudentibus, iratus vero fatuis. Dixitque : illi qui exornarunt sese ad convivium, assidebunt (mensæ) et comedent et bibent; isti vero qui non sese exornarunt ad convivium, stabunt et adspicient (priores manducantes et bibentes). »

Habes, Lector B. tres illas parabolas Talmudicas quæ, in quæstione, quam tractamus, imprimis laudari solent; de quibus ego, postquam diligenter eas contuli cum Evangelicis, sic sensi :

Ad primam quod spectat parabolam Talmudicam quam conferunt cum Evangelicâ (1) de divite epulone et paupere Lazaro, inter hanc et Talmudicam nullam animadverti similitudinem. Principio quidem, scopus utriusque parabolæ diversissimus est. Nam in Talmude, postquam R. Eliezer tradidit, Annam sterilem Deum primùm compellasse nomine Dei צבאות (tzebaoth), dixisseque : o Deus! ex tot creaturis quot creasti an displiceat tibi vel unicum mihi dare filium, — in hujus precationis elucidationem parabolam illam subjicit quam nunc conferimus cum Evangelicâ; undè satis patet quis Talmudicæ parabolæ scopus sit. Evangelica autem narratio, si parabolam dicere velis, profectò non aliò collimare videtur quam ut doceantur Pharisæi id quod suprà v. 15 dictum erat : nonnumquam quod *hominum altum est, id abominationem esse ante Deum*, nec profuturas esse divitias in alterâ vitâ.

At non tantum scopus utriusque parabolæ quam dissimillimus est, verùm et in ipsâ rei fictæ narratione nihil est quod persuadeat ut admittamus ali-

(1) Fac enim parabola sit, quod multi volunt, non verò historia, quod ego affirmo, et argumentis etiam stabilirem, si hujus loci esset.

quam similitudinem inter Parabolam Evangelicam et Talmudicam; nisi velimus dicere, ut Parabolæ Evangelicæ de divite epulone et paupere Lazaro similis dicatur aliqua ficta narratio, sufficere ut in eâ commemoretur *stans* vel *jacens ad fores divitis pauper aliquis cui negatur id quod petit;* hoc autem quis sanæ mentis affirmet?

Jam quod spectat ad parabolam Talmudicam, quæ tertio loco posita est, quamque conferunt cum parabolâ Evangelicâ de virginibus quinque prudentibus et fatuis quinque, non equidem nego, si sermo sit de *scopo* utriusque parabolæ, eòdem tendere utramque, docereque, oportere nos semper paratos esse ad adventum Domini; nescire enim nos quo tempore Dominus venturus sit. Itaque fatemur quidem eamdem hìc sententiam subesse parabolæ utrique, at hujus sententiæ, ope parabolæ, adumbratio Evangelica, liceat ita loqui, adeò diversa est a Talmudicâ, ut nulla prorsùs inter utramque similitudo jure statui posse videatur. Jam verò, cum agitur de similitudine parabolarum, non attenditur sententia moralis parabolæ subjecta, sed ipsa sententiæ parabolica adumbratio.

Venio nunc ad parabolam Talmudicam quam secundo loco posui, quamque conferunt cum Evangelicâ Matth. 20, de operariis in vineâ. Atque hìc quidem fateor adesse aliqualem similitudinem; verùm neutiquam tantam, quantam quidam asserere videntur. Nam et scopus utriusque

parabolæ non idem est; quum Talmudica doceat, ab uno aliquo nonnumquam breviore tempore plus boni operis præstari, quam ab altero longiore; quod, utut in se verissimum sit, non tamen docet parabola Evangelica. Itaque tota ratio similitudinis inter utramque parabolam in eo est, quod utrinque, licet ex scopo diverso, exhibentur operarii, qui per integram diem laboraverunt, quin tamen mercedem obtineant majorem, quam obtinet is qui non laboravit per integrâm diem; quod certè non tanti est, ut ideò inventionis laudem negemus auctori parabolæ Talmudicæ, dicamusque ipsum id non e suo penu, sed aliunde prompsisse. Sed de his satis. Ipsi nunc judicent lectores mei, quo pretio habendæ sint assertiones quorumdam, qualis v. g. Sheringhamii (1), qui non dubitavit asserere, Christum Salvatorem *ex scriptis Talmudicis* (quæ N. B. non nisi sat longo tempore post conscriptos N. T. libros in lucem edita fuêre) *in concionibus suis multa carpsisse, quæ jam canonicis scripturis inserta sunt.*

Cæterùm, observandum est, immensum esse discrimen inter parabolas Evangelicas et Rabbinicas, si utrarumque dotes litterariæ spectentur. Audiamus egregiè de hâc re disserentem virum (2), quem jam suprà laudavimus.

(1) In præfatione ad lectorem præmissâ ejusdem interpretationi tractatûs Talmudici *Joma* dicti.

(2) G. A. Van Limburg Brouwer. Theol. Doct. *de parabolis Christi.* p. 92, sqq.

« Porrò, ait, et hoc animadvertendum est, parabolas Jesu simplicitate se et unitate, ut ita dicam, maximè commendare. Etenim ejus narrationes per omnia sibi constare solent, neque accersitis propria admixta habent, ita ut auditores, quamdudum auctorem narrantem audiant, in unâ tantum re, in unico argumento simplicissimo versentur. Hâc ratione optimè attentionem sustentabat Servator; ex ipsâ narratione delectationem capiebant auditores, nullâ re impeditam aut immunitam; et, quum ferè semper parabolæ admonitiones contineant et doctrinas generales, quæ sponte menti obversentur, et primo statim obtutu animadverti debeant, egregiè in iis utile dulci erat mixtum. Primariis autem parabolarum Jesu dotibus annumeranda quoque est illa, de quâ plura jam diximus ante, veritatis species in omnibus omninò conspicua : nec puto hoc largâ demonstratione indigere; ipsa experientia sat superque indicat, hasce narrationes ipsam naturæ effigiem tam accuratè referre, ut dubium subindè visum sit, anne veram potius, quam fictam rem tradiderit Jesus. Omnia, quæ narrantur, apprimè conveniunt cum istorum temporum moribus, quoûsque nobis innotuerunt; imagines, e vulgari rerum ordine petitæ, prorsùs consentaneæ sunt naturæ legibus; actionum autem humanarum descriptiones ipsi humanæ indoli penitùs sunt adaptatæ, et tamquam ex illius indolis accuratâ

cognitione deductæ : id, quod in eo etiam mirificè elucet, quod passim hominum agentium mores vivis coloribus depingantur, quo existit oratio copiosa, gravis et elegans. »

« Profectò non multum videt, cui hæc non statim in oculos incurrunt; at numquam tamen has parabolarum Jesu dotes luculentius apparere existimo, quam si eas conferas cum parabolis Talmudicis. »

Deinceps speciminis causa confertur parabola Evangelica Matth. 14-30 cum Rabbinicâ non omninò absimili. En Rabbinicam : « Rex quidam dedit depositum tribus servis suis. Primus illud custodivit. Secundus perdidit. Tertius commaculavit, partemque illius alteri custodiendam tradidit. Post aliquod tempus venit, ut depositum suum repeteret. Illum qui custodiverat, rex laudavit, et præfectum domûs suæ fecit. Illum, qui perdiderat, ultimo supplicio affecit, jussitque, ut neque nomen, neque reliquiæ ipsius superessent. Tertio(1), qui id polluerat, partemque illius alteri tradiderat, rex dixit : retinete illum donec videamus, quid alter facturus sit, in cujus manibus partem de-

(1) Latina hæc interpretatio legitur in Schoetgenii Horis hebraicis, ad Matth. XXV, v. 14; vellem et hebraica verba dedisset. Nihil dubito quin quod ille interpretatus est : *tertio dixit*, interpretandum sit : *de tertio dixit*. Nam absque dubio hebraicè est : לשלישי. Jam verò ל hìc non est signum Dativi casûs; sic Ps. 3, v. 3, רבים אמרים לנפשי h. e. multi dicunt *de me*, non *mihi*.

positi reliquit, neque intereà e domo meâ exeat. Quod si is rem rectè tractaverit, hic libertati restituetur; sin verò minus, rex illum pœnâ adfici jussit. « Quid, quæso, hâcce parabolâ frigidius, quid jejunius excogitari potest, » meritò exclamat auctor suprà laudatus : qui et rectè pronunciat, si Evangelicam cum Talmudicâ conferas, illam tabulam pictam, hanc *carricaturam* esse dicendam. « Atque ipsæ illæ res, *pergit idem*, ita sunt comparatæ (de parabolâ Talmudicâ loquitur), ut verisimilitudini atque imaginationi noceant potius quam prosint. Rex dedit depositum tribus suis servis : quâ de causâ? non additur : Jesus narrat, herum in regionem longè dissitam abiisse. Quale verò depositum, aut quantum? non liquet : Jesus dixit : τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ, et in sequentibus talentorum numerum accuratè indicat. Num et servorum suorum indolis, aut facultatum in distribuendo rationem habuit? minimè gentium; absolvuntur omnia jejunis illis : *dedit depositum :* noster alteri quinque, duo alteri, tertio unum talentum commisit, κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν. Quo consilio autem hæc illis tribuit? ut ea custodirent : noster, ut lucrum facerent : quis tandem credat, patremfamilias, aut regem res suas servis commisisse, ut eas custodirent tantum, nec potius, quantum quisque potuerit, heri commodis consulerent? Nec verò dicat quis, rem significatam fortasse postulare, ut inducatur ejusmodi depo-

situm, quo lucrum fieri nequeat; spectat enim parabola Talmudica liberos cuique patri a Deo creditos, quorum sanè educandorum et erudiendorum cura et studium multò melius adumbrata fuissent, si primus ille servus integer bona sibi credita dupliciter magisve aucta hero reddidisset. Qualem porrò sententiam de ministris illis tulit? Scilicet, qui reddidit tantummodo, quod sibi traditum esset, non auxerat verò, non exornaverat, nullove modo rerum agendarum facultatem ostenderat, summâ laude, summo honore exceptus est, domûs præfectus, rerumque omnium procurator creatus est : qui autem perdiderat, ultimo supplicio afficitur : tertius denique, qui, si rem rectè tractaverat alter ille, cui partem depositi tradiderat, eodem prorsus loco, ac primus servus habendus esset, libertati tantum restituitur; sin verò minus, non minori, quam secundus, culpæ est obnoxius; et nihilominus dicitur tantùm pœnas daturus esse, nec tantâ crudelitate in eum sævitur. Quanta in remunerando liberalitas, quanta in puniendo crudelitas; quanta in omnibus injustitia! Quis credat ejusmodi nugas; qualemque vim et efficaciam habere possunt in hominum mentem, animique affectus? Denique Talmudistam narrantem audimus; in parabolâ Jesu patrem familias, et servos ipsos agentes intuemur. Jam statim videmus herum servos ad se vocantem, res committendas iis distribuentem,

mox abeuntem; porrò, servos rerum commissarum curam gerentes, quemque pro ingenio suo: redit autem herus longum post tempus; accedunt servi, rationem cum iis computat; ipsi verba faciunt, quid fecerint, quidve lucrati sint, ipsi explanant; respondet herus, laudat integros et fideles; causam suam agit tertius ille piger, et paucis verbis universa ejus indoles penitùs cognoscitur. Hæc est admirabilis illa describendi et pingendi ratio, quæ ne sinit quidem, ut quærant, sit-ne vera an ficta narratio; non cogitant auditores de fictione; viderunt enim ipsi, vel ita eorum affectus sunt excitati, ac si suis ipsis oculis res gestas adspexerint. Horum nihil ferè in parabolâ Talmudicâ. »

Pag. 77. v. 5.

רבנן. De רב, רבי, רבן similibusque titulis *Constantinus l'Empereur* (1) notat sequentia : « רב aliquando adjectivum est, ideòque sæpè reddo *magnus* cum aliis titulis præfigitur; aliquando nomen dignitatis est, et quidem inferioris quam per רבי exprimitur : nam רב in Babyloniâ vel etiam alibi extra terram sanctam creari poterat; sed רבי in terrâ Cananæâ promovebatur......... Rabbino tamen sive רבי major censetur רבן; quod

(1) Paraphrasis Josephi Jachiadæ in Danielem cum versione et annotationibus Constantini *l'Empereur* ab Oppyck. Amstelodami, a. 1733, p.5.

cum duplici tamen cautione accipiendum est: Nam si nomen non exprimatur, sed simpliciter dicatur רבי, major censetur qui denotatur, quam si רבן ponatur subjuncto nomine proprio : atque ità רבי sæpè per excellentiam designat R. Judam, qui Misnajoth congessit. Deindè plurale רבנן et רבנים sæpè quosvis חכמים *sapientes* denotat : undè passim invenies eosdem eodem loco dici רבנן et חכמים : itaque Rabb. Moses F. Maimonis, et R. M. F. Nachmanis vocantur ab Abarbanele initio commentarii in Genesim : שני רבנים. Quin etiam Benjamin in itinerario expressè ait : רבנים שהם תלמידי חכמים *Rabbini qui sunt sapientum discipuli.* Hi verò sunt ii qui cùm ab adultioribus discant, alios tamen docere possunt : undè etiam his *sapientum discipulis* Cod. קידושי' illud applicatur Levit. 19, 32. *coram canitie assurgito :* ne quis pueros designari opinetur. Verùm observandum imprimis רבנים apud Judæos, et quidem illum ipsum Benjaminum jam citatum, specialiter dici eos qui Talmudicas constitutiones recipiunt, ideòque opponuntur Karaitis; qui Judæi cum sint, solâ tamen scripturâ sacrâ (undè et nomen habent) contenti sunt : itaque propriè loquendo, pl. רבנן est dignitatis et eruditionis titulus; sed רבנין sectæ nomen est, ut קראים » Confer etiam si placet, congregationis S. Bernardi Abbatis J. Bartoloccii Bibliothecam magnam Rabbinicam, partis tertiæ p. 74 et 317; — Light-

foot horas Hebraicas in Matth. XXIII, v. 7. Observa porrò 1° רבנין ut opponuntur τοῖς קראים etiam dici רַבָּנָאִין v. g. לְכִדְרַבָּנָאֵי juxta Rabbinæos. 2° רבנין in Targum notare *principes, duces, magistros, doctores, præceptores*. 3° Qui in Talmude vocantur *Rabbanan* eos Rabbini in commentariis citantes dicunt : אָמְרוּ רַבּוֹתֵינוּ. 4° Babylonii pro רַב etiam dixerunt מָר *Mor* Dominus, quod aliàs dicitur מָרִי. 5° רִבּוֹן notat *dominum, herum*; respondetque Hebræo אָדוֹן. Vide Buxtorf. Lexic. maj, ad voc. רב. In רבוני (ῥαββουνί), ob frequentem usum periisse vim affixi, sicut etiam in רבי (ῥαββί), notat Ludovicus de Dieu in suâ criticâ sacrâ in Jo. c. XX, v. 16.

Pag. 79. v. 8.

משל בגדי וכו'. Parabola hæc legitur in ילקוט שמעוני in קהלת י"ב pag. קפט versâ in edit. Francofurtensi. Superior verò parabola habetur in Gemarâ ad Cap. IX, Mishn. V, tractatûs ברכות.

NOTÆ MISCELLANEÆ.

IN CAP. IV.

EPISTOLÆ FAMILIARES.

—

Centuriam epistolarum Hebraicarum unà cum tractatu de ratione conscribendi epistolas Hebraicas, Basileæ anno 1629 edidit Joannes Buxtorfius Pater. Atque earum epistolarum quibusdam versionem Latinam et notas subjecit, aliis verò non ità. Nos ex utrâque classe aliquas selegimus et recudendas curavimus; sed et iis, quarum non nisi mera verba Hebraica dederat Buxtorfius, interpretationem Latinam et notulas quasdam subjecimus. Vide infrà.

Pag. 83. v. 1.

בעלי אספות. Phrasis hæc mutuata est ex Ecclesiastis cap. XII, v. 11. Quocircà universè hìc observa, scriptores Rabbinos, quando maximè suam cupiunt perpolire orationem, crebris eam S. Codicis verbis contexere, ut opus quoddam quasi tessellatum videatur. Quod ut nonnumquam non parum ornat orationem, ita sæpè reddit obscuram; tum frequenter ibi abest etiam sanæ mentis sagacitas et pulchri sensus.

Ad phrasin בעלי אסופות quod spectat, tametsi verum sit apud Rabbinos eam usurpari ad *doctores* sive *magistros* indicandum (1), tamen in loco Ecclesiastis suprà laudato, undè desumpta est, diversum quid notare contra plures sentio cum Vitringa (2), qui observat : « 1° in textu non dici מבעלי אסופות *a dominis congregationum* (3), sed בעלי אסופות *domini congregationum*, in hunc modum; *verba sapientum sunt ut stimuli et clavi impacti, domini congregationum.* 2° Si per בעלי אסופות designentur *Doctores* et *Sapientes* (in loco laud. Eccles.) tum oratio omnem suam vim et elegantiam perdet. Tenta, si placet : *verba sapientum sunt ut clavi, impacti a sapientibus.* Quæ vis, quod decus est hujus sententiæ? *Verba sapientum sunt ut clavi, impacti a doctoribus.* Ergò nota quod ἐπίθετον בעלי אסופות non pertineat ad *sapientes*, sive *doctores*, sed ad *clavos*, et habebis facillimam interpretationem hujus loci; *verba sapientum sunt ut clavi, domini congregationum.* Ipsi *clavi* hìc dicuntur בעלי אסופות *domini congregationum*, sive ut Coccejus interpretatur, *tenentes collectiones*; et Lud. de Dieu :

(1) Cf. Altingii Hebræorum respublica scholastica; Amstelodami, apud Janssonium, an. 1652, p. 28.

(2) Campegii Vitringa de synagogâ vetere, libri tres. Franequeræ 1696, p. 377, sq.

(3) Nota eos interpretes qui בעלי אסופות *doctores*, *magistros* explicant sic ferè reddere verba Ecclesiastis : *verba sapientum sunt ut stimuli et clavi impacti a Dominis collectionum.*

quibus fiunt coagmentationes. Scilicet vocabulum בעל quod per *dominum* apud Latinos vertitur, latissimâ apud Hebræos gaudet significatione, valetque singulari et emphatico in quibusdam phrasibus usu. Ille, qui aliquid *habet, ut suum,* dicitur illius rei בעל *dominus,* sive illius rei *tenens* et *habens;* atque hinc *res aliqua,* de quâ attributum aut proprietas quædam verè prædicatur, ut ad eam pertinens, dicitur *ejus* בעל *dominus* sive *tenens.* Sic בעל שער *dominus pilorum,* pilosus, habens pilos; בעל מזמות *dominus cogitionum argutarum,* solers, callidus et argutus. Atque hoc eodem sensu *clavi* dicuntur בעלי אסופות *tenentes collectionum,* hoc est, *facientes compaginationem et coassationem.* Hæc igitur mens est Ecclesiastæ : *verba sapientum* esse *ut clavos, altè infixos, mentem compingentes.* » « Utique, » ait Ludov. de Dieu (1), qui hunc locum in eamdem sententiam interpretatur, « qui ad verba sapientum non attendunt, dispersam habent mentem, dissipatos affectus, et disturbatos mores; quæ omnia colliguntur, et coagmentantur quasi infixis clavis, verbis sapientum. Quæ sequuntur נתנו מרעה אחד construo cum דברי חכמים, adeò ut de verbis sapientum tria dicantur : 1. Quod sint sicut stimuli. 2. Quod sint sicut clavi etc. 3. Quod data sint a pastore uno; duo priora uti-

(1) Cf. ejus Critic. Sacra i. h. l.

litatem, tertium auctoritatem tradit verborum sapientum. »

Pag. 88. v. 1.

ידיע להוי chaldaica phrasis est, desumpta ex Esræ c. IV, v. 12, ubi habetur : ידיע להוא למלכא *notum sit regi.*

Pag. 89. v. 4.

לשמוע. ל hìc valet *doneo;* quâ significatione et in S. Codice eadem particula nonnumquam occurrit. Sic v. g. Isaiæ VII, v. 15, ubi Vulgata habet : *Butyrum et mel comedet,* ut sciat *reprobare malum, et eligere bonum,* Hebraicè est : לדעתו quod procul dubio notat : *donec sciat.*

Sequitur priorum trium epistolarum Latina interpretatio Buxtorfii :

ARGUMENTUM PRIMÆ.

Invitat quis alium studiosissimè ad communia litterarum studia in novâ institutâ Academiâ.

—

Numquid cognovisti aut non audivisti de summo illo bono, quod effudit nobis Dominus, qui sit benedictus? Renovata est enim Academia desideratissima in urbe laudatissimâ N. quò consociarunt se Doctores et Professores sapientissimi, qui jam olim fuerint viri celeberrimi, quorum fama

pervasit omnes terras : nam viri portentosi sunt. Etiam confluxerunt eò studiosi lectissimi et suavissimi iunumerabiles. Et ecce excitavit Deus spiritum meum intra me, ut dixerim : surgam nunc et ibo post Pastores istos : colligam spicas post messores illos, et congeram quidquid invenero, ut sim cauda leonum ac calefaciam me ad prunas legis divinæ et magnatum ejus, bibamque aquas de fonte aquæ vivæ, cujus aquæ minimè fallaces sunt. Prætereà dixi : Revelabo aurem tuam, cogniturus an velis ire mecum. Erga te enim propendet anima mea, quippe quem amore perpetuo semper prosecutus sum, et cujus anima pretiosa est in oculis meis, et impossibile est, ut sim absque te. Ideò significabis mihi, an abiturus sis mecum. Certè crumena una erit ambobus, eritque equus tuus ut equus meus, tuaque omnis necessitas erit super me. Tantummodo perpetuum sit fœdus scissum inter me et te, neque peregrinus ullus se nobiscum commisceat. Confirma te, robustus esto : adjunge te lateri meo sisque mihi proximus : alter alterum juvato. Duo enim meliores sunt uno. Dirige ergò in viam pedes tuos et egredere propter me.

INSCRIPTIO.

Juveni humanissimo. Hebr. *Juveni qui omnibus acclamantibus responsum dat, et sapiens est in omni re ad quam respicit, intelligenti etc.*

ARGUMENTUM ALTERIUS.

Respondet modestè, se venturum et futurum fidum studiorum socium.

—

Quid ego et quæ vita mea, (qui) contemtissimus et abjectissimus hominum sum, ut recordatus mei sis salutariter et benignè, respiciendo ad canem hunc mortuum, et extendendo erga me filum benignitatis et amoris? quare ecce veniam ad te die N. neque avertam faciem tuam. Recordor enim benignitatis adolescentiæ tuæ, ac amoris perfectissimi, quo radicati sumus invicem. Tu ut arbor es, arbor, inquam, scientiæ, plantata in loco mundo; ac propterea mihi melior est doctrina oris tui, quam mille aurei vel argentei. Quamquam verò gravem mihi rem imponas, propterea quod devinxerim me cum N. me non recessurum ab ipso, sed commoraturum in umbrâ ejus : tamen (judico) non esse mutandum amicum pristinum. Amor enim lancem deprimit, et ordinem pervertit. Dabo itaque operam pro tenuitate judicii mei, ut illum a me avertam, et cum non significaverim ipsi absolutam sententiam meam, facillimè ipsum a me depellere potero. Ibo itaque tecum in terram etiam incultam, ipsumque deseram. Quinimo notum est tibi, quod homo sine socio fideli, est sicut dextra absque sinistrâ. Sed prolixior esse non possum.

INSCRIPTIO.

Amico meo car. Hebr. *Socio meo intelligenti eloquium meum, cujus amor est in corde meo, dilecto meo etc.*

ARGUMENTUM TERTIÆ.

Sollicitè quis petit ab amico et sodali suo, ut scribat.

Animo meo desidero te per noctem, jaceo inter incendia, estque in animo meo tamquam ignis flagrans, donec audiam vocem annunciantem prospera de domo Domini mei, et familiâ ejus. Immò animus meus attonitus est, posteaquam transierunt nunc dies multi, et neque vox neque rumor ullus auditus fuit de habitaculo sessionis tuæ. Parturientis itaque more exclamabo, ut investigem et perscruter voce maximâ ab omnibus viatoribus, quomodo sese habeant particularia quæque vestra. Quamobrem te maximoperè nunc requiro : prehendant manus tuæ robur hodie, ac scribito lineas aliquot e ductibus digitorum tuorum, consolando me læto nuncio de prosperitate tuâ, et in jucunditate domesticorum tuorum erit mihi tamquam qui invenit pacem, carbunculum, sapphirum vel adamantem. Nunc verò a me abeunt fasciculi salutationum mearum, ut sistant se coram te clamando voce altâ : valeat quicumque apud te est, omnes vos estote benedictissimi.

INSCRIPTIO.

Viro cujus effigies mihi obversatur, cujus animus colligatus est cum animo meo, etc.

Hùc usquè interpretatio Buxtorfii. Sequitur nunc Epistolæ quartæ et quintæ et sextæ interpretatio mea ferè verbotenùs ex Hebraicis expressa.

ARGUMENTUM QUARTÆ.

Annunciat aliquis amicis suis Deum prosperos suarum rerum dedisse successus (1).

—

Ad lætificandum animum amicorum meorum, in quorum honore et dignitate delector, visum est mihi decem hæc verba ad eos perscribere, excitareque spiritum eorum, quia Deus prosperos omnium mearum rerum largitus est successus, mihique gratiam conciliavit omnium qui me viderunt. Inveni mihi opes (2) quas expetebat animus meus. Itaque Deo dabo gratias et laudem propter omnia beneficia quibus me affecit. Vos autem omnes, a minimo usque ad maximum, valere jubeo et esse incolumes; sitisque fortunatissimi.

(1) Hebraica verba habent : *ad annunciandum amicis suis quod Jehova prosperum fecit iter in quo ambulabat.*

(2) Cf. Oseæ XII, v. 9.

INSCRIPTIO.

Intelliget et lætabitur cum jubilo, vir sapientissimus, honoratissimus, Gloria excellentiæ Rabbi N.

ARGUMENTUM QUINTÆ.

Donum mittit aliquis cognato suo.

Quamquam ego in oculis tuis parvus sum (obscurus, ignobilis), tu verò es caput tribûum Israel, attamen (1) continere me in sermone non potui (q. d. coegit me meus animus ad scribendum), propter impensum amorem quo me frater meus, cognatus meus prosequitur. Si quid autem peccassem (2), expiare volo vultum meum per munusculum quod præcedit faciem meam. Itaque accipe quæso, munusculum meum quod ad te allatum est; quod si id benignè et libenter (3) susceperis, indè ego intelligam me gratiam invenisse in oculis tuis. Interim a parte sororis tuæ mitto tibi manipulos salutationum; ego etiam

(1) Cf. Job. IV, 2.

(2) Ad litt. fecissem *quod non est secundum legum.*

(3) Phrasis: בסבר פנים יפות jam occurrit in Talmude ex quo Buxtorfius alicubi citat præceptum politicum hoc: הוי מקבל את כל האדם בסבר פנים יפות h. e. *Esto recipiens quemvis hominem aspectu vultùs sereni*, id est, humaniter, benignè, comiter.

plurimùm salvere jubeo te et omnes qui tecum sunt; vivito et crescito.

INSCRIPTIO.

Cum aspectu vultûs (pulchri) missum est fratri meo, cognato meo in munus, domino meo, Gloriæ excellentiæ Rabbi N.

ARGUMENTUM SECTÆ.

Gratulatur aliquis amico suo quod is uxorem duxerit.

O quam lætatur animus meus, et gloria mea exsultat, fueruntque verba tua in oculis meis (*tanto mihi gaudio*) quantum esse solet illi qui magnum lucrum fecit (vel, *cui magna præda obtigit*). Nam magnâ me affecisti lætitiâ propter renunciatam mihi felicitatem tuam, resplenduitque vultus meus præ multitudine gaudii mei. O quam (1) speciosi erant pedes nunciorum annunciantium bona, annunciatorum felicitatis tuæ. Planè hoc recreavit meum animum, quod intellexi felicem exitum habuisse negotium tuum, Deo juvante. Laudetur nomen ejus ob puellam quam in matrimonium duxisti. Faxitque Deus ut mulier, quæ (2) in domum tuam ventura est, sit

(1) Cf. Isaiæ LV, v. 7.

(2) Cf. Ruth. IV, v. 11, 12.

(fecunda) sicut Rachel et Lea, sitque domus tua sicut domus Phares, et robustus evadas in Ephrathâ. Lætare, et diù vive unà cum uxore tuâ; cui meo nomine salutem plurimam apprecaberis, tametsi illa mihi non sit cognita. Deus autem det tibi posteritatem in terrâ, prolem tibi largiendo numerosam ut pulverem terræ, et progeniem sicut arenam maris. Atque hoc est quod optat N.

NOTÆ MISCELLANEÆ.

IN CAP. V.

SELECTA HISTORICORUM.

—

סדר עולם רבא. Auctor hujus libri Chronologico-historici est R. Jose filius Chelpetha, Zipporensis, (ר' יוסי בן חלפתא דצפורי), uti constat ex collatis ejus rei testimoniis quæ habentur in *Juchasin* (ed. Amstelod. anno תעז secundum minorem supputationem, p. כ"ט versâ), et in *Shalsheleth hakkabbala* (ed. Amstelod. anno(1) תבנה חומות ירושלים p. כג" versâ). Floruit autem R. Jose sub Hadriano Imperatore ad cujus usque tempora, initium ducens a rerum exordio, historiam suam Chronologicam perduxit. Verum non adeò antiquus liber ille visus est Groddeckio (2) *cum in eo appareant*, ait, *vestigia recentioris ævi*. Vellem eorum vestigiorum specimina aliqua lectoribus suis exhibuisset Groddeck. Sed fac adsint, an ideò continuò recentioris ætatis dicendus est liber universus? Quidni eo casu *interpolatus* dicatur? Quidquid

(1) Non subjicitur hic *secundum supputationem minorem;* est tamen sic intelligendum.

(2) Gabrielis Groddeckii Pseudonymorum Hebraicorum Hexecontas; (legitur in Wolfii Biblioth. Hebr. Vol, IV, p. 1029).

sit, est certè liber antiquissimus, quùm, quod notavit Jo. Selden (1), ejus libri jam mentio fiat in Gemarâ Babylonicâ ad tit. Shabbath, c. IX; hæc enim ibi leguntur : תניא בסדר עולם ניסן שֶׁבּוֹ יצאו ישראל ממצרים בארבעה עשר שחטו פסחיהן בחמשה עשר יצאו ואותו היום ע״ש היה. h. e. *traditur in Seder Olam : mensis Nisan fuit in quo ex Ægypto profecti sunt Israelitæ; die XIV paschata sua immolarunt, et die XV exiverunt; erat autem hæc dies, vespera Sabbati.* Atqui hæc leguntur in *Seder Olam Rabba,* qui Rabbino Jose adscribitur. In magno pretio Seder Olam habetur a Judæis, ut testantur Groddeck (2) et Theologus Parisiensis Gilbertus Genebrardus, qui eumdem librum Latinè interpretatus est (3). Variæ ejus libri extant editiones quas memorant Groddeck, loc. suprà laud. et Wolfius in Biblioth. Hebr. Usus ego sum editione Amstelodamensi anni מלאת אחרי ה׳ לפ״ק

(1) De jure naturali et gentium juxta disciplinam Hebræorum Libri VII. Ed. Argentoratens. a. 1665, p. 328.

(2) Ibid.

(3) Chronologia Hebræorum major quæ Seder Olam Rabba inscribitur, interprete Gilb. Genebrardo Theologo Parisiensi. Parisiis. 1578. Inspiciatur Epistola dedicatoria huic interpretationi præmissa. Obiter hìc adnotare juvat libri, de quo sermo est, primigenium titulum esse סדר עולם (cf. loc. suprà ex Talmude laudatum); ideò autem adjici רבא *major* ut distinguatur a סדר עולם זוטא seu *Chronologiâ minore,* quæ seriùs conscripta fuit.

Pag. 96. v. 1.

מאדם. Dicit : ab Adamo usque ad diluvium præterlapsos esse annos 1656; hunc autem numerum efficit auctor noster ex computatis annis quos Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Enoch, Mathusalem, Lamech et Noe nati erant, cum quisque filium suum genuit. —

Pag. 97. v. 1.

אמ' pro **אמר**, est ex illarum *abbreviaturarum* numero, quas *improprias* vel *imperfectas* vocant, et de quibus sermo est Vol. 2, partis 2ª, p. 45. Plures deinceps ejusmodi compendiariæ scriptionis exempla obviæ erunt. Quare quo minùs in iis hæreant tyrones, earum quædam, speciminis causâ, hìc explicasse operæ pretium fore existimavi (1). Itaque Pag. 97, v. 3, שנ' legas : **שנאמר**; cf. vol. 2, partis 1ª, p. 47. Ibid. v. 6, וגו' legas : **וגומר**; cf. vol. 2. ibid. p. 46. Pag. 97, v. 9, שתי' legas : **שתים**. Pag. 99, v. 5, אברה' legas : **אברהם**. Pag. 102, v. 4, להשתחו' legas : **להשתחות**. Pag. 103, v. 1, כנשי' legas : **כנשים**. Ibid. v. 9, מלחמ' legas : **מלחמה**. P. 104, v. 2,

(1) Nota. Abbreviaturæ *propriæ* seu *perfectæ*, quæ dicuntur, quotquot in nostrâ Chrestomathiâ occurrunt, unà cum reliquis, quæ usurpantur, alphabetico ordine recensentur et explicantur in hujus operis vol. 3.

'ית legas : יתברך; cf. vol. 2, partis 1ª, p. 46. Pag. 104, v. 18, 'פליפו legas : פליפוס. P. 105, v. 11, 'ירושלי legas : ירושלים. Pag. 106, v. 9, 'הצדי legas : הצדיק. Pag. 107, v. 8, 'נשי' נכריו legas : נשים נכריות. Pag. 108, v. 10, 'המשמשי legas : המשמשים. Pag. 109, v. 6, 'מתתי legas : מתתיה. Pag. 110, v. 8, 'ופי legas : ופירוש. Pag. 111, v. 1, 'מקומותיה legas : מקומותיהם. Pag. 113, v. 1, 'רחוק legas : רחוקה. Pag. 113, v. 9, 'הממונ legas : הממונה. Pag. 114, v. 9, 'הרב legas : הרבה. Pag. 115, v. 4, 'בתור legas : בתורה. Pag. 117, v. 12, 'במי legas : במים. Pag. 124, v. 8, 'אות legas : אותם. Atque ex his, quomodo legendæ sint, quæ deinceps, occurrunt hujusmodi scriptiones vocabulorum compendiariæ, facili negotio quisquis edocebitur. Si quæ autem porrò obviæ essent difficiliores, eas in subjectâ paginæ notâ interpretabor.

Ibid.

נביא. Prophetico afflatu Heberum filio suo nomen Phaleg (פלג quod *divisionem* notat) indidisse, quòd prænovit futurum, ut in familias divideretur terra, in *Traditionibus Hebraicis* refert etiam S. Hieronymus. Cum quo facit Rashi, qui in Gen. c. X, v. 25, ad vocabulum נפלגה hæc scribit : נתבלבלו הלשונות, ונפוצו מן הבקעה, ונתפלגו בכל העולם; למדנו שהיה עבר נביא שקרא שם בנו על שם העתיד. h. e. « Confusæ sunt lin-

guæ, et dispersi (homines) ex valle, et divisi per universum orbem terrarum; docemur (hinc) Heberum prophetam fuisse, quia nomen imposuit filio suo ob rem (adhùc) eventuram.

Pag. 98. v. 8.

ישיבתה וכו׳. Habitata fuit Sodoma quinquaginta uno annis. Ex illis floruit et beatè tranquillèque stetit tam ipsa quam ipsius vicina oppida annis viginti sex. Genebrardus.

Pag. 100. v. 7.

ועדין הוא קים. Superstitem Eliam et sub mundi finem, ante supremi judicii diem, in hanc vitam rediturum esse censet Synagoga. Itaque legimus in Bereshith rabba: רבי ברחיה בשם ר׳ חנינא אמר כאליהו מה זה לא טעם טעם מות (1). h. e. *Rabbi Berachia in nomine Rabbi Chanina dixit: sicut Elias; quid hic non gustavit?* (non gustavit) *gustum mortis.*

Addantur quæ scribit Kimchi in postremos duos versiculos vaticinii Malachiæ, ubi hæc leguntur: והטעם שישיב נשמתו שעלתה לשמים אל גוף נברא כגופו הראשון כי גופו הראשון שב אל הארץ

(1) ספר מדרש רבות, Parasha כא p. כד versâ in edit. Francofurtensi, an. גאולה תהיה לפ״ק.

בעלותו כל יסוד אל יסודו. ואחר שיחיה אותו בגוף ישלחנו לישראל לפני יום המשפט והוא יום ה׳ הגדול והנורא והוא יזהיר האבות והבנים יחדיו לשוב בכל לב אל ה׳. והשבים ינצלו מיום המשפט והוא שאמר והשיב לב אבו׳ על בנים (1). h. e. «Et sensus est : reducturum esse (Deum) animam ejus (Eliæ) quæ in cœlos adscendit, in corpus creatum, quale fuit corpus ejus primigenium ; nam primigenium ejus corpus, cum in cœlos adscendit, in terram reversum est, idque ità ut unumquodque hujus corporis elementum ad elementum quodque suum sit reversum. Postquam verò Deus eum illo indutum corpore *vivificaverit*, missurus est eum ad Israelem ante diem judicii; hæc est illa *dies Domini magna et terribilis.* Ipse autem admoniturus est utrosque, patres et filios, ut toto corde convertantur ad Deum ; et qui tunc pœnitentiam egerint, eripientur a die judicii; et hoc est quod dicit Scriptura : *et convertet cor patrum ad filios.* »

His addere juvat quæ eâdem de re notavit Lightfoot ex R. Sam. Lanjadi Commentario in 2 Reg. c. II; qui hæc scribit : Egomet fidem habeo nostris B. memoriæ Sapientibus, Eliam turbine fuisse in cœlum, h. e. in aerem subvectum asse-

(1) Commentarius R. D. Kimchi in Haggæum, Zachariam et Malachiam cum Latinâ interpretatione Thomæ Neli Angli. Parisiis 1557. Cujus tamen interpretationem non dedimus hic.

rentibus, atque adeò in Paradisum terrestrem a Spiritu Sancto traductum, ubi manet primævo corpore indutus (1).

« Atque ea est palam in Scripturis memorata sententia atque validè Traditionis et Patrum monumentis suffulta; scilicet, prophetam Eliam sub mundi finem esse venturum ad vias Domini præparandas ante terribilem judicii diem, atque ad simul conjungendos cum parentibus filios, h. e. Ecclesiam cum Synagogâ, et Judæos cum Christi fidelibus, ut unus tantummodo populus fiat sanctus, atque perfectus sub uno capite, quod est Jesus Christus (2). »

Pag. 101. v. 1.

ואנטיוכוס. Selecta historica, quæ hìc damus, hausimus ex libello cui titulus est: אלה דברי מלכי ישראל בבית שני, qui unà cum aliis historici argumenti editus est Amstelodami anno מלאת אחרי ה' לפ"ק. Est autem prædictus libellus compendium eximii operis quod celeberrimus apud Judæos His-

(1) Cf. Lightfooti Harmoniæ quatuor Evangelistarum partis secundæ sectionem XII. Hebraica verba hujus loci non adscripsit hìc Lightfoot.

(2) Ita Calmet in IV Reg. c. 2, v. 21, ubi deinceps SS. Patrum testimonia in hanc rem affert non pauca. Memorat etiam vir doctissimus ex Dialogo S. Justini martyris cum Triphone constare, Judæis cum Christianis de Eliæ adventu ante novissimum Judicii diem convenisse. Quia verò non adscripsit locum ubi hæc in S. Justino leguntur, noto hìc ea haberi p. 268 in Ed. Coloniensi, ubi tamen mendosè Ζαχαρίᾳ pro Μαλαχίᾳ irrepsit.

toriographus Josephus ben Gorion de rebus suæ Gentis Hebraicè conscripsit; idque Judæi Constantinopolitani a. 270 min. supput., Christi 1510, typis evulgarunt sub titulo יוסיפון; editore quodam *R. Tham Aben Jechaia*, qui ad calcem subjecit animadversionem, in quâ lectorem instruit de nomine, genere et nobilitate auctoris, utilitateque istius operis: imo etiam mentionem facit editionum anteriorum.

Verùm compendii, quod dicebamus, auctor est R. Abraham Ben Dior magni apud suos nominis vir, qui scribebat A. C. 1161; est autem illud compendium nonnisi tertia pars Libri ejusdem auctoris qui inscribitur: ספר הקבלה. Hoc itaque breviarium sub fictitio nomine *Josippi* circumferebatur, donec rem detegeret Gagnierius (1). Atque hinc ratio

(1) Johannes Gagnier. Is integrum opus Josippi sive Josephi ben Gorion ex Hebræo latinè vertit, suamque interpretationem cum præfatione (ex quâ, quam dedimus hujus libri ejusque compendii notitiam litterariam edocti sumus) et notis edidit Oxonii a. 1706. Idem in præfatione demonstrat Gorionidem operi suo non nisi multis annorum centenis post excidium Hierosolymitanum supremam manum imposuisse: adeòque falsos esse non paucos qui putant Gorionidem nostrum eumdem esse cum Flav. Josepho Mattathiæ seu Matthiæ filio, qui libris *Antiquitatum* XX, et de *Bello Judaico* VII, totam Hebraicæ gentis Historiam ab orbe condito ad sua usque tempora, excidiumque Hierosolymitanum complexus est. « Utrumque opus, ait Gagnierius, Judæi distinguunt. Cum enim *Flavium Josephum* citant, modo apellant eum יוסיפון לרומים *Josippon Romanis* (scriptum), modo יוסיפון בן גוריון הגדול *Josippon Ben-Gorion Magnum*, aliquando יוסיפון הארוך *Josippon Longum*. Cum verò ex Hebraico

patet cur selecta hæc sub nomine יוסיפון et Pseudo-Gorionidis in Chrestomathiâ nostrâ exhibuimus.

Ibid.

ואנטיוכוס. Abbreviator noster prætermisit hìc memorabile illud prodigium, quo per quadraginta continuò dies *contigit*, ut narrat S. auctor Libri secundi Machabæorum Cap. V, v. 2, 3, (ex versione Vulgatæ), *per universam Jerosolymorum civitatem videri per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastis, quasi cohortes, armatos, et cursus equorum per ordines digestos, et congressiones fieri cominùs, et scutorum motus, et galeatorum multitudinem gladiis districtis, et telorum jactus, et aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum.*

codice testimonia proferunt, appellant יוספון לישראל *Josippon Israeli* (scriptum), sive יוסיפון העברי *Josippon Hebræum*, nonnumquam בן גוריון קצר *Ben-Gorion Brevem* sive *Curtum*; sæpissimè, ubi non est ambigendl locus simpllciter *Josippon*, aut *Ben-Gorion*, vel etiam ubi aliquâ distinctione opus est, subjungunt אשר אצלינו *Qui est apud nos*...... Quoad lllam Epitomen Gorionidis, quæ fictitlo titulo Joslppi inscrlbltur, numquam a Rabbinis citatur sub nomine *Ben-Gorionis*, aut Josippon brevls..... Quod ad *Josephum Græcum* adtinet, illum non in magno solent babere pretio Judæi, lmo ei nullam babent fidem, et, tamquam in Historicum mendacem et adulatorem, adversùs illum acriter invehuntur: suum vero Josippon quasi bominem veracem, et penè divinum summis laudibus ad sidera evehunt, extollunt et prædicant.» Audiatur judicium quod

Quod Gorionides narrat ità : *Tunc apparuit prodigium a Deo in Jerusalem civitate sanctâ, visaque est eo tempore per quadraginta dies inter cœlum et terram similitudo equorum, quorum sessores tenebant in manibus suis arma bellica, aurea, argentea, ferrea et œrea, et pugnabant contra se invicem per hos quadraginta dies.* Ex versione Garnierii.

Pag. 102. v. 8.

בימים ההם. Cum his confer quæ habentur Machabæorum Lib. I, c. 2; item Flavii Josephi Antiquitatum Judaicarum Lib. XII, cap. 6.

Pag. 105. v. 20.

בא אלכסנדרוס. De Abraham Ben Dior ejusque ספר הקבלה conferantur quæ dicta sunt suprà p. 134, sq. Trium autem partium quibus ejus ספר הקבלה constare dixi, *prima* est Chronologica narratio, quâ, ab initio mundi exordium ducens, res suæ gentis persequitur usque ad annum 1161, quo librum suum absolvit; *altera* pars,

de Fl. Josepho fert Isaac Abrabanel in suo commentario in Danielem : *multa, ait, scripsit, pervertendo veritatem.* הרבה דברים כתב בחילוף האמת; idque ideò fecisse, porrò asserit, ut Romanis placeret. Ac profectò constat prodigia quædam, quæ in S. Codice referuntur, sicuti ab ipso narrantur, omnem prorsùs miraculi rationem amittere.

cui titulus : וזה זכרון דברי רומי מיום הבנותה עד תחלת מלכות ישמעאל, compendium historicum est de rebus Romanis ab urbe conditâ usque ad Mohammedis tempora; *tertia* pars, quæ inscribitur: ואלה דברי מלכי ישראל בבית שני, narrat res gestas principum Israelitarum stante templo secundo. Recentissima, ni fallor, editio ספר הקבלה, quâ et nos usi sumus, ea est, quæ, additis tribus aliis libellis ejusdem argumenti, sc. סדר עולם רבא, et סדר עולם זוטא et מגילת תענית, in lucem data est Amstelodami apud Salomonem Proops, anno 1711, ut suprà jam adnotavimus.

Cæterùm, quæ de Alexandro M. Jaddum Pontificem venerato hìc narrat R. Abraham Ben Dior (1), ea commemorant Gorionides Lib. I, c. 5; et Flavius Josephus Antiqq. Judaic. Lib. XI, c. VIII (2), habenturque etiam in מגילת תענית c. IX. Porrò in ויקרא רבא (Parasha י״ג, finem versùs, pag. קפ, columnâ 2ª, in Ed. Francofurtensi, An. גאלה תהיה לפ״ק) eadem breviter sic

(1) בן דיאור *Ben Dior* non בן דוד *Ben David* vocandus est, quo modo quidam eum appellant, quos errare dicit David Gans in צמח דוד, ut notavit Buxtorfius in Biblioth. Rabb. ad vocem קבלה.

(2) Confer etiam, si placet, de eâdem re agentes *Origenem contra Celsum* Lib. 5, pag. in Ed. Huet., et Eusebium Pamphilum in *Chronico bipartito nunc primùm ex Armeniaco textu converso operâ J. B. Aucher Ancyrani, monachi Armeni et doctoris Mechitaristæ, Venetiis, typis cænobii patrum Armenorum in insulâ S. Lazari, anno* 1818, *partis secundæ pag.* 127.

referuntur : אלכסנדרוס כד הוה חמי (1) לשמעון הצדיק היה קאים (2) על רגליה. אמרין ליה מינאי מן קדם יהודאי את קאים. אמר להם בשעה (3) שאני יוצא למלחמה דמותו אני רואה ונוצח. Quæ sic Latinè sonant : *Quum Alexander conspexisset Simeonem justum, de rhedâ descendit* (4). *Dixerunt ei Gentiles : tu-ne de rhedâ descendis propter Judæum? respondit illis : quo tempore ego ad bellum egressus sum, vidi ejus imaginem, et vici.*

Quibus addemus ejusdem rei gestæ narrationem quam ex צמח דוד exhibet Presbyter Romano-Catholicus Josephus du Voisin; vir doctissimus, in notis egregiis ad *Pugionem fidei* (5). בימי שמעון

(1) Mendosè legitur hic in Ed. suprà laudatâ חמו ; est enim Participium דז חָמֵא vel חָמֵי vel חָמֵא. Obiter nota sermonem hic esse ex Hebraico et Chaldaico mixtum.

(2) Illud Jod in קאים mater lectionis pro *tzere* est; est enim Participium קָאֵם.

(3) Editio Francofurt., de quâ suprà, mendosè habet : בשעת.

(4) Verbotenùs habetur hic : *Stetit super pedes suos*; significari autem hâc phrasi de rhedâ descendisse Alexandrum, id quidem colligo ex מגילת תענית, ubi hoc disertis verbis dicitur. En verba : כיון שראה אלכסנדרוס מוקדון את שמעון הצדיק ירד ממרכבתו והשתחוה לו. h. e. *Postquam Alexander Macedo conspexisset Simeonem Justum, descendit de curru suo et honorem ei habuit.* Atque idem refert David Gans in צמח דוד, ut mox videbimus.

(5) Conferatur *Raymundi Martini, ordinis Prædicatorum, Pugio fidei adversùs Mauros et Judæos, cum observationibus Josephi du Voisin et introductione Jo. Benedicti Carpzovii. Lipsiæ et Francofurti, a.* 1687; *p.* 76.

הצדיק הכ״ג יצא אלכסנדרס מוקדון מארצו בשנת
שש למלכו כאשר עלה להלחם בדריוש מלך פרס.
ועלה על ירושלים להחריבה כי נכנעים היו בני
יהודה לדריוש ובעלי בריתו. והיה אבל גדול
ליהודים וצום בכי ומספד. ויצעקו אל יי׳ בצר להם
ויצא אליו שמעון הצדיק בבגדי כהונה ועמו זקני
ישראל וכאשר ראה המלך אלכסנדרוס את שמעון
הצדיק הכ״ג ירד מעל המרכבה והשתחוה לפניו
ועל זה תמהו שריו ועבדיו וירגזו על ככה ויאמר
המלך אליהם: המלאך ההולך לפני בחזיון לילה
במלחמתי בדמותו ותוארו כאיש הזה. ויכרות
המלך ברית עם שמעון הצדיק ויביאהו הכהן
וזקני יהודה ירושלים וירא את בית יי׳ ויאמר ברוך
יי׳ אלהי ישראל אלהי הבית הזה. ויבקש המלך
משמעון הצדיק שיעשו לו לזכרון מזהבו דמות
דיוקנו ושישימו אותו בין האולם ובין המזבח וישיבו
הכהן שאסור לנו מאת אלהינו לקבל שום פסל
או תמונה אבל זכר גדול מאשר שאלת נעשה לך
שכל בני הכהנים הנולדים בשנה ההיא יקראו
אלכסנדרוס על שמך. ויטב הדבר בעיניו ויתן
המלך זהב לרוב לבדק הבית וישתחו ליי׳ ויצא.
Quæ idem Josephus du Voisin sic Latinè interpre-

tatus est : « Tempore Simeonis Justi Pontificis, egressus est Alexander Macedo e terrâ suâ anno sexto regni sui, postquam ascendit pugnaturus adversùs Darium, regem Persarum. Ascendit etiam adversùs Jerusalem, ut vastaret illam, quia Judæi coacti a Dario fœdus cum ipso inierant. Tum magnus fuit Judæorum luctus, jejunium, ploratus et planctus. Et vociferati sunt ad Dominum in angustiâ suâ. Accessit autem ad eum Simeon Justus indutus vestibus pontificalibus, comitantibus senioribus Israel. Ut vidit rex Alexander Simeonem Justum, summum Pontificem, descendit e curru suo, et incurvavit se coram illo. Idque admirati sunt principes ejus et servi ejus, et indignati sunt propterea. Sed ait Rex illis : Angelus qui in visione hâc nocte coram me ambulabat in prœlio meo, figurâ et specie suâ similis erat huic viro. Iniit verò Rex fœdus cum Simeone Justo; deduxitque eum Pontifex, et seniores Judæorum in Hierosolymam, viditque templum Domini et dixit : Benedictus Dominus Deus Israel, Deus hujusce domûs. Petiitque Rex a Simeone Justo, ut in monumentum erigerent ipsi statuam et effigiem auream (1), eamque collocarent inter porticum et altare. Respondit illi Pontifex : interdictum nobis est a Deo nostro accipere ullum sculptile, vel imaginem; verum monumentum majus, quam postulasti, exigemus tibi : omnes

(1) מזהבו notat : ex auro suo.

filii sacerdotum, qui hoc anno nascentur, de tuo nomine Alexandri vocabuntur. Id placuit regi Alexandro, magnamque auri copiam largitus est, ad restaurandum templum, et, adorato Deo, discessit. »

Existimo autem, quod hìc narratum est de Simeone Justo, ipsum hoc esse quod sacer auctor libri *Ecclesiasticus* dicti, c. L, ubi in ejus laudes exspatiatur, versiculo quarto de eodem dicit : *Qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione;* nam de nostro Simeone ibidem sermonem esse, non videtur jure posse negari.

Novi equidem ab Antonio Van Dalenio (1) totum id, quod historia refert de Alexandro M. Pontificem Jaddum (2) venerato, sublestæ fidei argui, quin etiam *splendidum mendacium* vocari; verùm ejus argumenta, ducta præsertim ex silentio Curtii, Ariani et Diodori Siculi historiographorum, non tanti sunt, ut propterea videatur posse jure in dubium vocari.

Pag. 107. v. 1.

וישיתחילו. Judæos deinceps, a tempore adventûs

(1) Vid. Antonii van Dale Dissertatio super Aristeâ de LXX interpretibus. Amstelod., anno 1705, cap. X, p. 15, sqq.

(2) Simeonem Justum dictum fuisse etiam Jaddum affirmat Abraham Ben Dior in 1ª parte sui ספר הקבלה in ed. suprà laudatâ, pag. לג. Quod confirmat etiam R. Gedaljah in שלשלת הקבלה pag. טו in ed. Amstelod. anni תבנה *secundum minorem supputationem.*

Alexandri M. in Jerosolymam cœpisse annos computare in publicis eorum contractibus, memorat etiam David Gans (apud du Voisin l. l.) in צמח דוד ad annum 448, millen. 4. והר״אבד ובעל יוחסין ובעל יסוד עולם ור״י אברבנאל ואחרים זולתם כתבו שהכ״ג נדר למלך שמיום ההוא והלאה יתחילו מספר השנים למנין שטרתיהם מביאתו שמה. h. e. « R. Abraham Ben Dior, et auctor *Juchasin*, atque auctor *Jesod Olam;* itidem R. Isaac Abrabanel, aliique prætereà scribunt summum Pontificem promisisse regi, ab illo die et deinceps inchoaturos Judæos numerum annorum in Ærâ contractûum suorum ab adventu ejus illùc. » Idem ibidem paulò suprà refert jam in Talmude hoc esse relatum. דע שמתחילה היו מונין שנתיהם ליציאת מצרים. ואחר זה למספר שנות המלכים כאשר תמצא דבר זה בדברי הנביאים הראשונים ואחרונים עד שנת אלכסנדרוס מוקדון. אז היו מתחילין למנות שנותיהם וכותבין כל שטרותיהם מזמנו כמו שאמרו בפרק קמא דע״ז. h. e. « Scito, Israelitas primò numerasse annos ab exitu ex Ægypto. Posteà verò juxta numerum annorum Regum, ut comperies apud Prophetas priores et posteriores, usque ad ævum Alexandri Macedonis. Tunc cœperunt annos suos computare et obsignare omnes contractus suos ab ejus tempore, ut tradunt in Talmude cap. 1. de Idololatriâ. »

Pag. 107. v. 5.

ובבוא. De ædificato in Monte Garizim Samaritanorum templo, conferantur Flavii Josephi Antiqq. Jud. Lib. XI, c. VII; Gorionides, Lib. I. a fine; et ספר יוחסין editionis suprà laudatæ pag. ז versâ.

Ibid. v. 6.

החורני. Horonites vel Choronites, h. e. ex urbe חרנים *Choronaim*, quæ memoratur Isaiæ XV, 5; urbs est in Moabitide sita.

Scaliger hunc Sanaballetem vult eum esse cujus meminit Nehemias passim. Omninò autem duo fuêre Sanaballetes : prior is qui Horonites dicitur a Nehemiâ (1), quique obesse conatus est ne Hierosolymæ munirentur (2), et cujus filiam duxit Jesus filius Jojadæ; alter Sanaballetes fuit is, qui sub Alexand. templum Garizitanum exstruxit, cujusque filia Nicaso nupta est cum Manasse fratre Jaddi. Vid. *Isaac Vossium* in *Chronol. Sacrâ*, p. 149; et *Petavium* de *Doctrinâ temporum*, cap. XXV, Lib. XII. Videntur autem Gorionides, et post hunc Epitomator ejus cum auctore libri יוחסין, utrumque Sanaballetem confudisse, aut certè Sanaballetem de quo Nehemias l. l. agit, quemque Horonitem vocat, eumdem habuisse cum eo qui ab Alexandro M. facultatem obtinuit ædificandi templi in monte

(1) Nehemiæ Cap. II, v. 10. (2) Ibid. Cap. VI.

Garizim. Nam posteriorem hunc Horoniten vocant; is tamen *Horonites* non fuit sed *Cuthæus*, ut disertis verbis scribit Flavius Josephus Antiqq. Jud. Lib. XI, c. VII a fine : Χυθαῖος τὸ γένος. Lectorem hìc monitum volo, dici in Tract. יומא Cap. VII, et in מגילת תענית Cap. IX, jam, antequam Alexander M. in Jerusalem venisset, ædificatum fuisse templum Samaritanorum; quam sententiam nuperrimè etiam amplexus est Petrus Beer (1). Verùm non est cur fidem denegemus testi antiquiori eidemque locupletissimo, Flavio, inquam, Josepho qui, Antiqq. Judaic. Lib. XII, Cap. VIII, disertis verbis asserit, non nisi obtentâ ab Alexandro M. facultate, Samaritanos templum suum in Monte Garizim ædificare cœpisse.

Pag. 108. v. 8.

תחלת הצדוקים. De origine et placitis sectæ Sadducæorum videsis Fl. Josephi Antiqq. Judaic. Lib. XIII, Cap. V et X; Tractatûs Talm. *Sanhedrin* inscripti Gemaram in Cap. XI Mishnam 1am; porrò אבות דר' נתן (cf. notam Vol. II, p. 27), Cap. V, p. 10 versâ in Ed. Amstelod. An. 1777;

(1) *Geschichte, Lehren und Meinungen aller bestandenen und noch bestehenden religiösen Sekten der Juden und der Geheimlehre oder Cabbalah, von Peter Beer. Brünn*, 1822, *erster Band*, p. 25. Auctor hic nullatenùs commemorat Fl. Josephi relationem de tempore ædificati a Samaritanis templi.

Maimonidem in commentario in *Massecheth* פרקי אבות Mishnam 3am, qui, inter alia, ibidem ait : « *ex Sadducæis orti sunt maledicti illi sectarii qui vocantur Karaim* (קראים) (1). *Et inter sapientes nostros vocantur Sadducæi et Baitosæi, et hi fuerunt ei, qui traditioni oblocuti sunt, et sacram Scripturam exposuerunt juxta propriam eorum mentem, rejectâ prorsùs sapientum doctrinâ, contrà id quod scriptum est* Deut. XVII, v. 11 (2). Inter recentiores de sectis apud Judæos scripsit, idque magnâ, pro more, eruditionis copiâ, Nicolaus Serarius (3), ex societate Jesu, vir doc-

(1) Omissa hic sunt ab interprete verba : באלו הארצות ר"ל מצריים h. e. in his terris, sc. in Ægypto.

(2) Ex interpretatione Surenhusii, quæ prostat in opere, cui titulus : Mishna sive totius Hebræorum, juris, rituum, antiquitatum ac legum oralium systema, cum clarissimorum Rabbinorum Maimonidis et Bartenoræ commentariis integris. Quibus accedunt variorum auctorum notæ ac versiones in eos quos ediderunt Codices. Latinitate donavit ac notis illustravit Guilielmus Surenhusius. Amstelodami 1698-1703. Vid. partis IV, p. 411.

(3) Vid. Nicolai Serarii Tribæresium, seu de celeberrimis tribus, apud Judæos, Pharisæorum, Sadducæorum et Essenorum sectis : ad varios utriusque Testamenti veterumque scriptorum locos intelligendum : et ad nupero Joan. Drusii de Hasidæis libello respondendum. Libri tres. (Pro Sadducæis cf. Lib. II, cap. XVIII, et seqq.) Contra Serarium, circa hanc quæstionem, deinceps stylum acuêre Drusius et Scaliger, quos ille tamen, editis quinque libris pro Tribæresio, et tribus aliis, quibus titulus: *Rabbini et Herodes*, brevi ad silentium redegisse videtur. Quæcumque autem de hâc quæstione ultrò citròque fuêre conscripta, ea omnia, adjunctis aliis similis argumenti libellis, collectim edita sunt Delphis, an. 1703, duobus voluminibus in 4°, quorum titulus est : Trium Scriptorum illustrium de tribus Judæorum sectis syntagma. — Ecce

tissimus, quem *Germanicæ Ecclesiæ lumen* meritò vocavit Historiæ Ecclesiasticæ pater Baronius. Serario adde Bartoloccium (in Biblioth. Rabbinic. P. I, p. 376, et p. 380, ubi alia quædam loca Talmudica allegat, in quibus de Sadducæis sermo est, quæque nobis videre non licuit) et Basnagium, *Histoire des Juifs. Liv. 2, chap. XIV.*

Pag. 108. v. 9.

אל תהיו כעבדים וכו'. Hanc Antigoni sententiam, occasionem fuisse exortæ Sadducæorum hæreseos negat Ewald et tamquam fabulam explodit (1).

autem tibi syllabum opusculorum omnium quæ in boc syntagmate hahentur: I. Drusii de Hasidæis libellus. II. Nicolai Serarii Trihæresium, seu de eeleberrimis etc. vide suprà. III. Drusii de tribus seetis Judæorum libri quatuor, adversus Nie. Serarium Jesnitam; accedit J. Drusii Spicilegium Trihæresii Nicolai Serarii. IV. Josephi Scaligeri Jul. Cæs. F. elenehus Trihæresii Nicolai Serarii. Ejus in ipsum Scaligerum animadversiones confutatæ. Ejusdem delirium fanatieum et impudentissimum mendacium, quo Essenos Monachos Christianos fuisse contendit, validissimis argumentis elusnm. V. Jacobi Triglandi J. F. J. N. Diatribe de sectâ Karæornm. VI. Nicolai Serarii Minerval Josepho Scaligero et Johanni Drusio depensum, pro Trihæresio. Libri quinque. VII. J. Drusii ad Minerval Serarii responsio libris duobus eomprehensa eum appendiee. VIII. Nicolai Serarii, Rabbini et Herodes, seu de totâ Rabbinorum gente, partitione, creatione, auetoritate, ete., et de Herodis Tyranni natalibus, Judaismo, uxoribus, liberis et regno, libri tres, adversùs Jos. Scaligeri Ensebianas annotationes, et J. Drusii responsionem.

(1) Vid. Pirke Aboth, *oder Sprüche der Väter, ein Traktat aus der Mischna, übersetzt und erklärt, nebst dem punctirten*

Pag. 109. v. 4.

בית הכותים והצדוקים. Salmanasar, captâ Samariâ eversoque regno Israelitico, in Mediam et Babyloniam reliquasque orientis provincias decem tribus relegavit (4 Reg. cap. XVII, v. 6); in quarum sedes vacuas (1) *adduxit colonos de Babylone, et de Cutha et de Avah, et de Emath, et de Sepharvaim : et collocavit eos in civitatibus regionis Samariæ pro filiis Israel* (Ibid. v. 24). Hæc autem plurium populorum colluvies, ductâ appellatione a regione in quam migraverat, Samaritanorum nomen gessit, ut auctor est Fl. Josephus, Antiqq. Jud. Lib. X, cap. IX. Itaque hebraicè a שֹׁמְרוֹן (Samaria) dicti fuerint שֹׁמְרֹנִים, quod nomen Samariæ (regionis et urbis) habitatorum fuit ante exilium, uti constat ex 2 Reg. cap. XVIII, v. 29. Ast novorum horum Samari-

Text und einem vollständigen Wort-register von Dr Paulus Ewald. Erlangen, 1825; *pag* 7. In notâ ait : *es ist reine Fabel, das dieser Ausspruch die Sadducäer und Baithosäer ins Daseyn rief.*; et in notâ ad hanc notam dicit : *Die Essäer im Talmud. Unter diesem Titel wird nächstens vom Verfasser eine kleine Abhandlung erscheinen, in welcher er seine hier ausgesprochene Behauptung rechtfertigen wird.* An verò Ewaldus fidem suam liberaverit, nescio. Mihi certè eum librum videre hucusque non contigit.

(1) De *reliquiis* Israel, quæ commemorantur 2 Paralip. cap. XXXIV, v. 9. cf. si placet, Chronologiam et concordantiam temporum regum Juda et Israel, auctore Paludano (Van den Broec) in Universitate Lovaniénsi S. Scripturæ Professore. Lovanii, 1628, p. 109; et Calmetum in 2 Paralip. cap. XXXIV, v. 6.

tanorum posteri sese deinceps non שֹׁמְרֹנִים sed הַשֹּׁומְרִים (a שמר *custodivit*) nominaverunt, quasi a præclarâ legum Mosaicarum custodiâ sortiti nomen, ut colligitur ex Epiphanio (1), et confirmatur ex Epistolâ 1ª quam recentiores Samaritani dederunt ad Jacobum Ludolfum (2).

Novi autem hi Samariæ coloni etiam כותיים dicti sunt, ductâ, procul dubio, ab eâ gente, quâ novæ coloniæ pars maxima constabat, denominatione, ut jam conjecit Elias Germanus in Tisbi (apud

(1) Epiphanius adv. Hæreses Lib. I. Hær. IX.

(2) De Samariæ et Samaritanorum nomine et origine, sicut et de eorum ad nostros usque dies fatis, placitis et litteraturâ si quis plenissimè instrui cupiat, adeat imprimis opera sequentia : I. Christophori Cellarii collectanea Historiæ Samaritanæ, quibus præter res Geographicas tam politia hujus gentis, quam religio et res litteraria explicantur. Cizæ, 1688. II. Sylvestre de Sacy (litterarum Orientalium inter Catholicos magnum decus, qui nuperrimè piè obivit) *Mémoires sur l'état actuel des Samaritains.* III. De Samaritanorum theologiâ ex fontibus ineditis commentat. Guilelmi Gesenii. Halæ 1822.

His adde quæ brevissimè de eodem argumento scripsit Frid. Uhlemannus in prolegomenis quæ præmisit suis *institutionibus Linguæ Samaritanæ* (Lipsiæ 1837); idem in hujus operis præfatione plura alia opera recenset, quæ ad præsentem quæstionem faciunt. Quibus adde : commentationem A. J. Silvestre de Sacy, de versione Samaritano-Arabicâ librorum Mosis e duobus Codd. Biblioth. reipublicæ Gallicæ, olim regiæ, Parisiensis (legitur ea commentatio in *Algemeine Bibliothek der biblischen Litteratur von J. G. Eichhorn. Zehnter Band; erstes Stück*). *Abu-Said verfasser der Samaritanisch-Arabischen Ueberseٍtsung des Pentateuchs* (legitur in : *Eichhorn's Algemeine Bibliothek. T. III, p. 1, sqq.*). *C. F. Schnurrer's Samaritanischer Briefwechsel* (legitur ibid. T. IX, p. 1, sqq.). — Litteræ Samaritanorum ad Josephum

Cellarium in Collectaneis, p. 12) cujus hæc sunt verba : נקראו כותיים יותר משאר שמות האומות הנזכרים בפסוק; אולי לפי שהם היו הרבים, לכך נקראו כלם כותיים. h. e. « Vocati sunt Cuthæi potius quam alio nomine ducto a reliquis gentibus in S. Scripturâ (IV Reg. c. XVII) commemoratis; forsan, quia Cuthæi pars (novorum colonorum) maxima erant, ideò omnes Cuthæi fuerint dicti. »

Innuit auctor noster in loco, ad quem notam

Scoligerum datæ. Ex autographis Parisinis exscripsit et Latinas fecit Silvestre de Sacy (leguntur in *Repertorium fur Biblische und Morgenländische Litteratur.* T. XIII, p. 257). — Epistola Samaritana Sichemitarum tertia ad Johum Ludolfum. Edidit P. J. Bruns (legitur ibid. p. 277). *Probe eines Samaritanischen biblischen Commentars, uber Genes.* Cap. XLIX, *herausgegeben von C. F. Schnurrer* (legitur ibid. T. XVI, p. 154, sqq.). Tandem : *Lettre de M. Jacques Bjornstahl, touchant la version Arabe des cinq livres de Moyse, et qui se trouve dans le Pentateuque-Tritaple Samaritain, Ms. de la Bibliothèque du prince Barberini.* Epistola hæc data est ad Reverendum Patrem Gabrielem Fabricy, virum doctissimum, et habetur in ejusdem opere, cui titulus : *des titres primitifs de la révélation, ou considérations critiques sur la pureté et l'intégrité du texte original des livres saints de l'ancien Testament; dans lesquelles on montre les avantages que la religion et les lettres peuvent retirer d'une nouvelle édition projetée de ce texte comparé avec les manuscrits Hébreux, et les anciennes versions Grecques, Latines et Orientales, par le R. P. Gabriel Fabricy, de l'ordre des Frères-Prêcheurs, Docteur-Théologien de Casanate, de l'académie des Arcades de Rome.* 2 Vol. in-8°, à Rome. 1772. Mirum tam parum nostratibus et Germanis cognitam esse eruditam hujus monachi lucubrationem, quâ authenticitatem et integritatem textûs hebraici S. Scripturæ graviter defendit, et tum eruditionis copiosæ tum acris sui judicii documenta dat locupletissima.

hanc apposuimus, Sadducæos, Sadoci et Bajethosi exemplum secutos, sacrificasse in templo montis Garizim; idemque sentit Bartoloccius (1). Hoc verò negat Basnagius (2), tum quia Fl. Josephus, cui exosi erant Sadducæi, nuspiam hoc ipsis exprobrat; tum etiam quia tempore Christi videmus Sadducæos in Hierosolymitano templo publicum Deo cultum exhibentes. Sed his argumentis reponimus : 1° Flavium Josephum, quem genuinum Israelitam fuisse nemo facilè dixerit, in tribus locis (3) suorum operum, ubi de Sadducæis sermonem instituit, non nisi paucissimis verbis et tantummodò de *placitis* eorum agere, neutiquam verò historiam eorum contexere; adeòque ex ejus silentio nullum argumentum duci posse. 2° Ex eo quod tempore Christi publicum Deo cultum in templo Hierosolymitano exhibuêre Sadducæi, non rectè indè confici posse eosdem idem non fecisse in templo Garizimitano. Nonne et in nostris diebus inter Acatholicos videre licet diversæ, uti ajunt, *communionis* homines, alteros alterorum sacræ, quam vocant, cœnæ participantes?

Pag. 110. v. 3.

כוזיבא. Pseudo-Messias iste, a quo misera gens

(1) Bibliothecæ magnæ Rabbinicæ, P. I, p. 380.

(2) *Histoire des Juifs depuis Jésus-Christ jusqu'à présent, pour servir de continuation à l'histoire de Joseph. Par Mr Basnage, nouvelle édit., à La Haye.* 1716. *T. II, 1 partie, p.* 325.

(3) Sc. Antiqq. Jud. Lib. XIII, cap. V et cap. X; tum, de Bello Judaico, Lib. II, cap. VIII.

Judæorum delusa est, postquam verum Messiam, Christum nostrum, crucifixerat, prius nomen tulit בר כוכבא (*filius stellæ*), quod ipse sibi imposuerat, affirmando se esse stellam illam, quam ex Jacob orituram prædixerat Balaam (Numer. cap. XXIV, v. 17); posteà verò, quam ab eo deceptos sese viderant Judæi, ipsumque hunc Messiam non salutis, sed contrà inauditæ suorum stragis causam extitisse, leviter mutato nomine, pro בר כוכבא nomen בר כוזיבא (*filii mendacii* seu mendacis) eidem per ludibrium imposuêre. De primo hoc Pseudo-Messiâ (nam plures deinceps fuêre) distinctius agit R. David Gans in צמח דוד, p. 41 (apud Cellarium; in institutione Grammaticâ Rabbinorum scriptis legendis et intelligendis accommodatâ), ubi hæc legimus : בן כוזיבא הנקרא בר כוכבא מרד ברומיים ועשה את עצמו משיח. וע״כ נקרא בר כוכבא מפני שדרש ואמר שעליו נאמר: דרך כוכב מיעקב וגו׳. ורב׳ עקיבה עצמו כאשר ראהו אמר עליו: היינו מלכא משיחא. והיהודים אשר בביתר משחוהו וכתרוהו עליהם למלך, ופרקו את עול הרומיים מעל צוארם, ועשו הרג רב ברומיים וביונים אשר באפריקא עם גדול רב כחול אשר על שפת הים אשר לא יספר. וכן עשו במצרים; גם תושבי אלכסנדריאה של מצרים הרגו גם הם ברומיים, לדברי בעל מאור עינים, פרק י״ב, יותר

ממאתים אלף איש. והיהודים אשר בגפרי היא ציפרן הרגו גם הם כל הגוים עד בלתי השאיר שריד. עד שקיסר טריאנוס שלח עליהם את שר צבא בן אחותו אדריגוס ועשה הרג רב אשר לא נשמע ולא נראה (1) לא בימי נבוזראדן ולא בימי טיטוס. h. e. Ben Coziba *aliàs* vocatus Bar Cochba, rebellavit contra Romanos, et fecit seipsum Messiam. Ideò autem vocatus est *filius stellæ*, quia interpretatus est et dixit, quod de se dictum fuerit Num. XXIV, v. 17, *processit stella de Jacob, etc.* Et R. Akiba ipse, postquam illum vidit (2), dixit de eo: hic est Rex Messias (3). Et Judæi Bitterenses unxerunt eum et coronarunt eum supra se regem, et excusserunt jugum Romanorum de cervice suâ, et fecerunt cædem multam in Romanis et Græcis qui in Africâ, *trucidando* populum ingentem et innumerabilem instar arenæ, quæ in littore maris est, quæ non numerabitur. Atque ita fecerunt etiam in Ægypto; incolas etiam Alexandriæ Ægyptiæ obtruncaverunt unà cum Romanis (ut narratur in *Meor Enaim* cap. XII), ampliùs 200000 virûm. Et Judæi, qui in Gophri (4), quæ est Zepharan (Cyprus), oc-

(1) Cellarius dat נראתה, quod pro mendo habeo.

(2) Cellarius dat ראוהו quod pro mendo habeo; ideò edendum curavi ראהו.

(3) היינו מלכא משיחא. Fuerint hæc ipsa Akibæ verba, suo h. e. Palæstinensi-Aramaico idiomate prolata.

(4) In ספר יוחסין (Ed. Am-

ciderunt ètiam ipsi cunctos gentiles eò usque, ut non relinqueretur illis superstes; donec Cæsar Trajanus misit contra ipsos ducem exercitûs sui, filium Sororis suæ Adrianum, et fecit in illis stragem multam, qualis neque tempore Nebuzardan nec Titi audita aut visa fuit. *Ex interpretatione Cellarii.*

Pag. 111. v. 7.

ומשם. Libri, ex quo desumpsimus ea quæ hìc damus loca selecta, titulus est : מַסעות של רבי בנימין h. e. *peregrinationes* seu itinera R. Benjamin; quem David Gans (1) plenius vocat : רבי בנימין בר יונה מטודילה h. e. *Rabbi Benjaminem Jonæ filium ex Tudelâ.* Tudela urbs est in eâ parte Cantabriæ sita, quæ hodie provincia Navarrensis dicitur. Hinc profectus (circa A. C. 1160) (2), continuo itinere peragravit Tudelensis noster omnes tres mundi plagas, Europam, Africam et Asiam : et quocumque pervenisset, omnia perscribebat quæ vel viderat vel a fide dignis ho-

stelod. An. תעז *juxta computat. min.* pag. קח rectâ, ubi eadem historia narratur) legitur : והיהודים אשר בגי״פרי.

(1) Apud C. L'Empereur, in disserlatione quam præmisit suæ Itinerarii Benjaminis editioni (Lugd. Batav. A° 1633). Ex quâ editione expressa sunt ea quæ hic ex Benjamine dedimus loca selecta.

(2) Circa A. C. 1160 peregrinationem suam instituisse Tudelensem asserit Bartoloccius Bibl. Rabb. part. I, p. 674.

minibus audiverat (1). *Peregrinatorem fide dignissimum* eumdem vocat Kircherus in OEdipo T. I, p. 378 (apud Wolfium in Biblioth. Hebr. Vol. III, p. 152); contrà Bartoloccius (loc. laud.) rectiùs, uti mihi videtur, Benjaminem vocat virum nimis credulum, et in gloriam suæ gentis plus justo propensum. Certè figmenta sunt quæ de suorum conditione et statu hìc illic memorat; v. g. cum narrat (2) in urbibus circa montem Nisbor (qui ubi collocandus sit, non satis liquet) habitare tribus quatuor a Salmanasare Assyriorum rege in exilium abductas, videlicet Dan, Zabulon, Asher et Nephtali. « Et illorum Israelitarum (3) regio, ità pergit, ad viginti dierum iter protensa civitates et castella in montibus habet, quæ ab uno latere Gozan flumen alluit : nec ullo gentium jugo premuntur; sed suæ gentis Principi (נשיא) parent, cui nomen Josephus Præfectus (אֲמַרְכְּלָא) Levita (4). »

(1) Ita David Gans in צמח דוד (apud L'Empereur in diss.) cujus hæc sunt verba : יצא ממדינת נבא״רה והיה הולך ונוסע ומשוטט בכל שלשה חלקי העולם אירו״פי אפרי״קא ואסי״אה ובכל מקום אשר בא שמה כתב כל הדברים שראה או ששמע מפי אנשי אמת וכתבם בספר.

(2) Vid. p. 97 et seq. in Ed. L'Empereur.

(3) Mendosè in Latinâ interpretatione quam suæ editioni adjecit L'Empereur, quamque nos hìc damus, pro *Israelitarum* in hoc loco legitur *Ismaelitarum*.

(4) Ex aliorum relatione Tudelensis se hæc accepisse ibidem refert. Mirum profectò, et eò magis quòd in propinquo erat, peregrinatorem nostrum non invisisse felicissimos illos populares suos.

Hùc pertinet similis fabula, quam inter suos sparsit impostor Judæus quis Eldad Danita, (אֶלְדָּד הַדָּנִי) sive ex tribu Dan, de quatuor tribubus, Dan, Gad, Aser et Nephtali, suæ gentis Regi, cæterum alii nulli subjectis. Commorantur eæ tribus, ait fabulator, in Æthiopiâ, sed fluvio Sabbatico (סַנְבַּטְיוֹן, סַמְבַּטְיוֹן, סַבַּטְיוֹן, סַבָּטוֹן) circumseptæ sunt, adeòque impeditæ quominùs fratres invisant; hunc enim fluvium per sex dies hebdomadis rapidissimo ferri cursu, et ingentes secum convolvere lapides, ut transire flumen nemo possit; quiescere vero tandem die Sabbathi, ac tum quidem posse enavigari amnem, sed eo die, igne lambente omnia ad dimidium milliarii in circuitu fluminis, neminem ad ejus ripas posse accedere, atque hanc ob causam ex illis terris venire neminem fratres suos Israelitas dispersos visitaturum. Elapsus tamen, non satis patet quânam tandem ratione, sed elapsus indè est Eldad Danita, qui deinde, per varios casus, per multa discrimina rerum, peregrinando per Asiam offendit reliquas sex tribus Israeliticas propriis suis legibus utentes. Hæ verò non illæ quidem, ut priores quatuor, circumseptæ sunt aliquo fluvio Sabbatico, sed tamen, quod stomacheris, neutiquam sollicitæ sunt de fratribus invisendis. Noveris tamen reverâ tam has quam illas existere, et esse felicissimas, et propriis legibus uti, et alieno regi nullo esse subjectas; rem testatur Eldad Danita, testis ocularis. Verum qui-

dem est, neminem eorum qui per tot sæcula orbem circumeunt, de mirabili illo flumine aut de decem felicissimis illis tribubus Israeliticis quidquam non dicam oculis usurpasse sed ne fando quidem accepisse, sed tamen Eldad Danita vidit et omnia hæc perscripsit in Epistolâ ab eodem missâ (1), ut in fine legitur, in Hispaniam A. 5043. Ch. 1283. Quod autem post tot stupenda non minus stupeas, testatur auctor *Shalsheleth* ex Mar Tzemach, Eldadum illum circa annum 4640. C. 880 conspectum fuisse; unde conficitur Eldad quæ ipse viderat in Hispaniam perscripsisse cum natus esset annos 400 et quod excurrit.

Atque hæc, proh dolor, a suis deceptum Judæorum vulgus (2) credit, fabulosasque illas tribus,

(1) Epistola hæc, ex quâ hausimus commentum Eldad Danitæ, maximam partem legitur in Bartoloccii Biblioth. Rabbin. Part. I, p. 101. sqq.

(2) Imo etiam docti aliqui; certè Menasse Ben Israel (Huetio dum Amstelod. degeret familiariter notus, (vid. Dem. Ev. Prop. IX, n. XIV) in *Spe Israelis* pag. 55 de Eldadi epistolâ ita fatur: istis ex terris venit ante 500 annos Israelita Eldad Danita, ex tribu Dan, cujus bodie adhuc videtur littera, quam vocamus ס׳ אלדד הדני, qui a Rabbinis examinatus homo probæ fidei videbatur — cf. Wolf. Bibl. Hebr. in voc. אלדד הדני. Non omnes tamen ita desipiunt. Aben Ezra certè in Exod. Cap. II, v. 22, asserere non dubitat in Epistolâ Eldad Danitæ talia referri quæ rectæ rationi contradicunt (דברים שמכחישים הדע׳ הנכונה). Et Kimchi (apud L'empereur), Benjaminis coætaneus, in Hos. III, 4. ubi prædicitur fore ut filii Israel *sederent dies multos sine rege et sine principe, et sine sacrificio etc.*, hæc scribit: ואלה הם ימי הגלות שאנחנו בו היום ואין לנו לא מלך ולא שר מישראל כי ברשות הגוים אנחנו וברשות מלכיהם ושריהם. h. e. « Hi sunt

teste Fagio (in Deut. 30, 1), *die roten Juden* appellare solet; has autem tribus tandem erupturas et se ab illis ex præsenti captivitate redimendum stultè sperat.

Nec obscurum est quò tendant figmenta hæc de Israelitis propriis legibus utentibus, et suæ gentis Regi subditis; eò nimirum, ut nobis extorqueant e manibus telum, quo ipsos e Geneseos cap. XLIX, v. 10. petimus, ut jam animadvertit L'Empereur (1); qui etiam scitè observat, Judæos scriptores, qui adeò populum suum efferunt quum Geneseos cap. 49 explicant, e contrario, ubi Isaiæ caput LIII (quod de Messiæ doloribus et morte tractat) exponunt, mirum in modum sese deprimere, ut totum istud caput ad se trahant.

Cæterum non pauca notatu digna in Benjaminis itinerario occurrunt; et videtur, mihi certè, annumerandum esse inter præcipua medii ævi monumenta Geograph. Quo magis miror in opere Geographico a magni nominis viris recenter elaborato (2),

dies exilii in quo hodiè sumus; nec Regem nec Principem ex Israele habemus; sed in potestate gentilium sumus, et in potestate regum ipsorum et principum ipsorum. »

(1) In *dissertatione ad Lectorem*, quam suæ editioni Benjaminis Itinerarii præmisit.

(2) *Traité élémentaire de Géographie, contenant un Abrégé méthodique du précis de la Géographie universelle en quatre volumes; précédé d'une introduction historique, etc., par Malte-Brun, terminé d'après le plan et les matériaux de ce célèbre Géographe, par ses collaborateurs MM. Larenaudière, Balbi et Huot.* 2 vol. 8. *Bruxelles.* 1832. Nullam pariter iidem auctores mentionem faciunt de itinerario Rabbi Abraham Peri-

de Benjaminis nostri itinerario nullam occurrere mentionem, cum tamen de itinerariis multò minoris pretii sermonem faciunt in compendio historico de origine et progressu scientiæ Geographicæ, quod operi suo præmiserunt viri doctissimi.

Itinerarium Benjaminis primùm editum est Constantinopoli A° 1543, quâ editione usus esse videtur Benedictus Arias Montanus, qui illud primus ex Hebraico Latinum fecit, et Antverpiæ ex officinâ Christophori Plantini A° 1575 edidit. Post Montanum ejusdem itinerarii novam versionem Latinam elaboravit Const. L'Empereur, de quo jam suprà sermo fuit (1).

Pag. 112. v. 7.

בכלה מקומות. Ita quidem legitur in editione Constantini L'Empereur quâ utimur; verùm mendum typographicum hìc irrepserit, et procul dubio legendum est : בכל המקומות.

Ibid. v. 9.

אלכשלדירוש. Est hic Pontifex Maximus Alexander III quem Benjamin rectissimè hìc vocat : *principem maximum et totius religionis Edomæorum*

zol, quod, additâ interpretatione Latinâ, edidit Thomas Hyde Oxonii A. 1691.

(1) Cf. Bartoloccii Bibl. Rabb. loc. laud.

(h. e. Christianorum) *præfectum* (1), ut in suâ interpretatione verba Hebraica fideliter rèddidit Constantinus L'Empereur. Quem tamen malè habuisse videtur ingenuum hoc Benjaminis testimonium; nam in adjectâ notâ ad hunc locum hæc scribit: « Nubiensis (2) ecclesiasticam politiam considerans, Romam non omnium Christianorum *caput*, sed *unam e columnis Christianorum* esse dicit. Qui paragraphus observatione dignus est : quandoquidem conditionem Ecclesiæ (puta Romanæ) nobis exprimit; dum alias etiam tres Ecclesias ipsi associat, ut officio et potestate consortes, licet Romanam sedem magnitudine præcellere dicat. » Verùm Constantinum nostrum sic meritò compellat Abraham Ecchellensis (3): «Cur magis tibi observatione dignus

(1) Ut plenius adhuc constet de mente Benjaminis, conferenda sunt, quæ leguntur infrà p. 63 et sq. ומשם שני ימים לבגדאד היא העיר הגדולה ראש ממשלת כליפת אמיר אלמומנין אלעבאסי ממשפחת הנביא שלהם והוא הממונה על דת הישמעאלים וכל מלכי ישמעאל מודים לו והוא עליהם כמו הפפא על הנצרים. h. e. (ex interpretatione L'Empereur, quam ferè secuti sumus) : Hinc (sc. ab Okbera, עוקברה) iter bidui ad Bagdad; civitas maxima est, et metropoiis Caliphæ Præfecti CredentiumAbbasidæ, qui ex ipsorum Prophetæ familiâ genus ducit. Hic Præfectus est religionis Muhammedanorum, lpsique omnes Muhammedanorum reges fasces submittunt, iis enim eo modo præest quo Papa Christianis.

(2) Auctor Arabs Geographiæ Nubiensis.

(3) Eutychius Patriarcha Alexandrinus vindicatus, et suis restitutus Orientaiibus; sive responsio ad Joannis Seldeni origines, ln duas tributa partes; quarum prima est de Alexandrinæ Ecclesiæ originibus; aitera

paragraphus ille Nubiensis geographi, quo Romam *unam e columnis christianorum* dicit, quam paragraphus auctoris tui Benjaminis, quo eumdem Romanum Pontificem *maximum principem et præfectum totius religionis Christianorum* appellat?

Verùm tantum abest, ut Nubiensis hoc dicat, quod maximè vellet Professor Lugdunensis Constantinus, ut prorsùs dicat contrarium, et hic suo ipse se gladio jugulet. Nam verba Nubiensis geographi a Constantino citata Ecclesiam Romanam prædicant Ecclesiis cæteris Patriarchalibus *majorem*, non verò tantummodo *primam inter æquales Ecclesias*, Antiochenam puta, Alexandrinam, cet., uti ex verbis Arabicis Nubiensis malè redditis confecit vir doctissimus. En verba Nubiensis, ut ea a Constantino citantur : ركن من اركان النصارى (وذلك) انها كرسى اعظم من كراسى الاربعة وبانطاكية كرسى وبالاسكندرية ايضا كرسى وببيت المقدس كرسى. Quæ reddita sunt ab eo hoc modo : *Columna est* (Roma sc.) *e columnis Nazaræorum. Ipsa est sedes* maxima inter sedes quatuor, *et Antiochiæ sedes est, et Alexandriæ etiam sedes, et in domo sanctâ,*

de origine nominis Papæ; quibus accedit censura in Historiam Orientalem Johannis Henrici Hottingeri Tigurini, a pag. 283 ad 495. Omnia ex Orientalium excerpta monumentis, auctore Abrahamo Ecchellensi, Maronita e Libano. Romæ 1661. Vid. part. alterius pag. 272, sq.

id est, Hierosolymis *sedes est*. Itaque verba اعظم من كراسى الاربعة reddit : *maxima inter sedes quatuor;* sed falsa est hæc interpretatio; sic enim reddenda sunt : *major sedibus quatuor;* nam dictio اعظم من *comparativum* gradum non verò *superlativum* notat. « Sciunt omnes, » ait Ecchellensis (1), cui observationem præmissam debemus, « nomina comparativa, et superlativa apud Arabes ejusdem esse formæ, distingui verò ratione particulæ *Men*, quæ comparativorum nota est, ita ut quoties hæc particula adjungitur nomini ejus formæ, tum nomen illud comparativum est, aliàs superlativum. Quod cùm ita sit ex Grammaticorum placitis, et linguæ genio ac analogiâ, cur magis arrisit Constantino vertere, *sedes maxima inter sedes quatuor*, quam *sedes major sedibus quatuor?* Cur? quia minimè illum latebat, superlativa dici de iis, quæ sunt ejusdem ordinis, comparativa verò non item. »

Est tamen quod in patrocinium Constantini afferri posset. Profectò non ignoraverit vir doctissimus dictionem اعظم من notare gradum comparativum; verùm cum videret Ecclesiam Romanam in suo Nubiensis exemplari dici اعظم من كراسى الاربعة, *majorem sedibus quatuor*, et tamen *tres* tantùm Ecclesias ibidem numerari, cumque satis perspiceret nihil dici posse seipso majus, ne absurdi

(1) In opere suprà laud. partis 2ᵃ, pag. 276.

quid scriberet, maluit vertere: *sedes maxima inter quatuor* quam *sedes major sedibus quatuor*.

Verum tamen non debuisset Professor Lugdunensis lectori suo nihil præmonito obtrudere eum Nubiensis locum, quem veluti classicum habet, tamquam *paragraphum observatione dignum* ad demonstrandam Ecclesiarum Patriarchalium officii et potestatis inter sese æqualitatem. Neque enim ignorare potuit, reddendo eo quo fecit modo eum Nubiensis locum, se manifestò infringere Grammatices Arabicæ leges. Cum verò, si has in interpretando observasset, absurdi quid dixisse visus fuisset Nubiensis, locum mendosum esse suspicari debuisset, et eumdem omninò non commemorare. Ac mirum profectò videri debet, non in mentem venisse viro doctissimo unius Ecclesiæ Patriarchalis vocabulum librariorum aut typothetarum oscitantiâ hìc excidisse. Quid enim? Agit hìc Nubiensis de Ecclesiis Patriarchalibus, quas omninò quinque fuisse, Romanam sc. Constantinopolitanam, Antiochenam Alexandrinam et Jerosolymitanam, res notissima est, neque Nubiensem fugere poterat. Jam verò in exemplari Nubiensis quo utebatur Constantinus non nisi *tres* Ecclesiæ Patriarchales commemorantur, et Romana tamen dicitur *major* (اعظم من) sedibus *quatuor*. Quæ ergo facilior conjectura quam unius Ecclesiæ Patriarchalis vocabulum ex eo loco exci-

disse (1). Nam hoc admisso, et constabat numerus Ecclesiarum quinque Patriarchalium, et, servatâ dictioni اعظم من suâ comparativi significatione, verba dabant intellectum hunc lucidissimum : sedes Romana major est sedibus quatuor, sc. Constantinopolitanâ, Antiochenâ, Alexandrinâ et Hierosolymitanâ.

Pag. 14, v. 11.

כ״ד מילין. *Viginti quatuor milliaria* « Ambitus hìc major est, quam Nubiensis Geographus exprimit : cum enim de Urbe Româ ex professo agit, et, quæ maximè observanda duxit, concisè et compendiosè annotat, Urbis ambitum dicit esse novem milliarium. Itaque Judæus noster viginti quatuor ponit milliaria; Arabs verò novem milliaribus totum ambitum circumscribit. Sed de Romanæ Urbis amplitudine consulito Georgium Fabricium in sua Roma, et Onuphrium Panvinium Lib. I. Commentariorum Reipublicæ Romanæ. Nota Benjaminem verbis suis conciliationem suppeditare,

(1) Atque ità revera se res habet, mendosamque lectionem ex Codice Ms. sic restituit Ecchellensis (in opere laud. partis 2æ, paginâ 277). انها كرسى اعظم من كراسى الاربعة بالقسطنطينية كرسى وبانطاكية etc.

h. e. Ipsa *sc. sedes Romana* est sedes major sedibus quatuor; Constantinopoli est sedes, et Antiochiæ sedes est, et Alexandriæ quoque sedes, et in Domo sanctâ *(Jerusalem)* sedes.

quum utramque Romæ regionem se complecti indicat. Verba hæc sunt : בין המיושב והחרב *qua habitata, qua vastata :* quasi dicat, Urbem olim multo fuisse ampliorem, quam hodie conspiciatur, et si vastatam partem excipias, istud relinqui spatium, quod multo minori ambitu circumscribatur; at, vastato loco simul comprehenso, circuitum ad viginti quatuor milliaria extendi. Constant. L'Empereur i. h. l. Benjaminis.

Pag. 117, v. 15.

שֵׁם הַמְּפוֹרָשׁ. Ita Judæi vocant nomen Dei tetragrammaton יהוה, de quo Maimonides (1) in suo מורה נבוכים (part. 1, Cap. 61) hæc adnotat: כל שמותיו יתעלה הנמצאים בספרים כולם נגזרים מן הפעולות וזה מה שאין העלם בו אלא שם אחד והוא יו״ד ה״א וי״ו ה״א שהוא שם מיוחד לו יתעלה ולזה נקרא שם המפורש עניינו שהוא יורה על עצמו יתעלה הוראה מבוארת אין השותפות בה. h. e. Omnia nomina Dei, quæ in libris sacris inveniuntur, derivata sunt, ut palam est, ab operibus ejus, unico excepto Jod, He, Vau, He, quod est nomen Dei proprium, undè etiam vo-

(1) Apud Josephum du Voisin in observationibus ad Cap. VIII, operis celeberrimi quod inscribitur : Raymundi Martini, ordinis Prædicatorum, Pugio fidei adversùs Mauros et Judæos. Raymundi opus maximam partem exscripsit Petrus Galatinus.

catur: Shemhammephorash, id est, nomen quod clarè, et citrà ullam æquivocationem de substantiâ Dei docet. *Ex interpretatione Jos. de Voisin.*

Auctor (1) verò libri *Ikkarim*, lib. 2, cap. 28, aliam affert explicationem τοῦ מפור ש. En ejus verba: שם הנכתב ביו״ד ה״א וי״ו ה״א הוא הנקרא שם המפורש ור״ל השם הנבדל; פירוש שם המפורש הוא שהוא נבדל ומיוחד לו יתברך וגו׳ *h. e.* Nomen quod scribitur per Jod, He, Vau, He, vocatur *Shemhammephorash*, id est, nomen *distinctum.* Ideò autem vocatur *distinctum*, quia est peculiare et proprium Deo, laudetur, etc. De שם המפורש si quis plura edoceri cupiat, legat diatriben philologicam quam in Academiâ Lipsiensi sub præsidio M. Andreæ Rehlingen exposuit D. Stephani A. 1677; addatur Griphus Rabbinico-Philologicus de Schem Hammephorasch, quem præside J. Paschio solvit Christ. Schnellius. A. 1685. Recusa est dissertatio hæc Wittebergæ A° 1740.

Quum Judaica perversitas negare non posset quamplurima miracula a Jesu Christo Salvatore nostro esse patrata, hæc eum fecisse ope prolati Shemhammephorash, quod vi suorum incantaminum in templo didicisset, ridiculè blasphemat. Audiatur fabulator impius, auctor anonymus impii libelli inscripti ספר תולדות ישו, quem in lucem edidit Wagenseil in opere mox citando. En istius verba:

(1) Ibidem apud eumdem du Voisin.

ובעת ההיא היה שם המפורש חקוק בבית (p. 6)
המקדש על אבן שתייה; שכשכרה דוד מלך את
היסוד מצא שם אבן אחד על פי התהום ועליו היה
חקוק השם והעלה אותו והניחהו בקדשי הקדשים.
והיו החכמים יראים מן הבחורים שלא ילמדו את
השם ויחריבו את העולם, חס ושלום! ועשו שני
אריות של נחשת ותלו אותם על פתח קדשי
הקדשים אחד בימין ואחד בשמאל וכל מי
שנכנס ולמד את השם, מיד כשיצא, היו נובחים
בו האריות ומרוב פחד ובהלה היו השמות
פורחים מלבו ושכח אותם. וכשנגלה הקול
על ישו שהוא ממזר, יצא מגליל העליון ובא
בהחבא לירושלים ונכנס להיכל ולמד שם האותיות
הקדושים וכתב השם על הנייר והזכיר, השם שלא
יכאב לו, וחתך את בשרו והחביא בו את הנייר
עם השם. והזכיר שנית את השם וחזר הבשר
למקומו...... אז הלך חוץ לעיר וחתך את בשרו
והוציא את הכתב וצירף האותיות ולמד את השם.
והלך לבית לחם יהודה מקום לידתו וצעק בקול
גדול: אני בן אלקים ועלי ניבא ישעי׳ הנביא: הנה
העלמה הרה וגו׳.... ויענו ויאמרו לו תן לנו אות

ומופת שאלוה אתה. ויען ויאמר הביאו לי מת
אחד ואחיה אותו. וירוצו ויחפרו קבר אחד ולא
מצאו בו רק עצמות יבשות ויגידו לו לאמור: לא
מצאנו רק עצמות. ויאמר הביאום ויביאום לו ויצרף
העצמות עצם אל עצם וקרם עליהם עור ובשר
וגידין ויקם ויעמוד על רגליו ויחי. ויראו האנשים
את הדבר ויתמהו. ויאמר להם הזאת לכם תימה?
הביאו לי מצורע אחד וארפא אותו ויביאו לו מצורע
וירפא אותו גם כן בשם המפורש. h. e. Tunc temporis erat in templo insculptum Shemhammephorash lapidi τȣ στερεώματος. Etenim cum David Rex foderet fundamentum, reperit ibi lapidem quemdam ἐπὶ τȣ στόματος τῆς ἀβύσσȣ, in quo nomen hoc (Shemhammephorash) incisum conspiciebatur; quem indè sustollens, in Sanctum Sanctorum deposuit. Cum verò metuerent sapientes, ne fortè studiosi juvenes nomen hoc discerent, orbique (quod Deus omen prohibeat) inferrent vastitatem, confecêre æneos leones duos, quos ante fores Sancti Sanctorum, unum a dextris, alterum a sinistris, statuerunt. Si quis igitur intrasset illùc et arcanum nomen didicisset, hunc exeuntem allatrabant leones, et in causâ erant, ut, ob ingentem pavorem ac consternationem, nomina menti exciderent, et oblivio illorum eum pervaderet. Cæterùm, quum percrebuisset fama de Jeschu ipsum nothum

esse, desertâ Galilæâ superiore venit clanculum Hierosolymas, ingressusque templum discit ibi τὰ ἱερὰ γράμματα, nomenque illud (*hammephorash*) membranæ inscribit; tum nomine hoc enunciato, ne dolorem persentisceret, scindit carnem, ibique membranam cum mysteriis condit. Mox prolato rursùs nomine illo, effecit ut caro consolidaretur..... Ergò extrà urbem se confert, ac dissectâ rursùs carne educit scripturam, et, cum characteres probè perpendisset, tenet nomen. Abit deinde Bethlemum Judæ, locum nativitatis suæ, ac voce magnâ clamare occipit : Filius Dei sum, et de me vaticinatus est Isaias Propheta : *Ecce virgo concipiet etc.* Ibi respondere cuncti et dicere : edito signo aliquo et prodigio ostende te Deum esse. Ille respondens ait : Afferte hùc ad me hominem mortuum, et ego eum vitæ reddam. Festinat plebs, et, sepulcro quodam effosso, nihil ibi reperit præter mera ossa arida; id cum renunciassent dicentes se sola ossa invenisse, ait : proferte illa in medium. Iis allatis combinat inter se ossa singula, eaque obducit pelle, carne, nervis, ut sic surgens, inque pedes erectum ibi staret vivum, quod fuerat cadaver. Quam rem intuentes homines mirabantur; tum is; hæccine, inquit, admiramini? adducite mihi leprosum aliquem, et sanabo illum. Cumque ante eum statuissent leprosum, hunc similiter per *Shemhammephorash* sanitati restituit. *Mutatis paucis, ex interpretatione Wagenseilii* (1).

(1) Opus blasphemiâ refertum, ex quo hæc sumpsimus, prodiit

Alii tamen non ope שם המפורש sed על ידי כישוף h. e. *vi incantamentorum* suorum miracula patrasse Christum alio modo impiè blasphemant, ut R. Lipman auctor libri (1) pestilentissimi imprimis contra Christianos scripti (a. 1459), cui titulus ספר הנצחון (liber Victoriæ). En istius verba : כל מה שעשה, עשה על ידי כישוף; כי כתוב

sine nomine autoris, nec ullatenùs indicat ætatem suam, aut undè prodierit, sed omninò talis cernitur, ut rectè notat Wagenseil in ejus confutatione, quales esse famosi libelli solent. Prætereà scatet contradictionibus et turpissimè in historiâ labitur. Raymundus Martini (in Pugionis fidei 2. parte Cap. IV) postquam animadvertit Judæos conatos esse miracula Christi blasphemiâ deturpare, eosdem composuisse, ait, contra Christum librum, cujus summam ibi dat; atqui hæc ferè convenit cum iis quæ leguntur in ספר תולדות ישו quem Wagenseilius edidit. Sed tamen, notante eodem Wagenseilio (in confutatione impiissimæ fabulæ), is qui Raymundi Martini temporibus circumferebatur sacrilegus liber, non est planè idem cum eo quem ipse edidit, « sed res ipsa docet, fabulam, tum fortasse cœptam, a posterioribus Judæis valdè fuisse interpolatam, auctamque accessionibus, sic ut mendacia mendaciis tecta fuerint ne perplueret. » Opportunè hìc nota, lector, extare alterum ejusdem blasphemiæ libellum, ab eo quem præ manibus habuit Raymundus Martini et a Wagenseiliano satis diversum. Hunc edidit Joh. Jac. Huldricus. Accipe titulum : ספר תולדות ישוע הנוצרי *historia Jeschuæ Nazareni, a Judæis blasphemè corrupta, ex manuscripto hactenùs inedito nunc demum edita, ac versione et notis (quibus Judæorum nequitiæ propius deteguntur et auctoris asserta ineptiæ ac impietatis convincuntur) illustrata, a Joh. Jac. Huldrico, Tigurino.* Lugd. Bat. apud Joh. du Vivie, 1705.

(1) In lucem editus est hic liber a Joh. Wagenseilio, et legitur unà cum aliis similis farinæ libellis in ejus opere quod inscribitur : *Tela ignea satanæ, hoc est, arcani et horribiles Judæorum adversus Christum Deum et Christianam religionem libri* ἀνέκδοτοι.

בעון גליון (2) שהיה במצרים ב׳ שנים ושם למד הכישוף; כדאמרינן: עשרה קבין כישוף ירדו לעולם, תשעה נטלה מצרי׳ ואחת כל העולם. h. e. Quæcumque fecit (*Jesus miracula*) per incantamenta fecit; scriptum enim est in Evangelio, ipsum per biennium in Ægypto habitasse; atqui ibi didicit incantandi artem (*quæ in eâ regione erat pervulgata*); undè (in Kidduschin fol. 49, b) dicimus : decem cabi incantaminum descenderunt in mundum : novem ex iis sibi abstulit Ægyptus, unum orbis reliquus. Vide *Nizzachon* in opere laudato Wagenseilii pag 34. Eamdem sententiam effert R. Isaac in suo ספר חזוק אמונה. Vide R. Isaaci *Munimen fidei* p. 452, in collectione Wagenseilianâ.

Obiter hìc observare liceat adeò certò constitisse de miraculis Christi Salvatoris, ut Judaica pravitas blasphemiis quidem eadem deturpare conata, nunquam tamen ausa fuerit negare. Miracula patravit Jesus, ait anonymus qui blasphemias Sepher Toledos Jeschu concinnavit, ve-

(1) בעון גליון. Si vocabulum græcum εὐαγγέλιον litteris Hebraicis scribere velles, scribendum foret אונגליון. Atque his litteris Rabbini vocabulum εὐαγγέλιον scribere solent; at verò ut numquam non odium prodant, quo flagrant in rem Christianam το אונגליון scribunt, alii, diviso in duas voces vocabulo : און גליון q. d. *vanitatis revelatio;* alii, ut noster hìc : עון גליון q. d. *perversitatis revelatio.* Cf. Buxtorf. in Lexic. maj. i. h. v.

rùm ea fecit ope *Shemhammephorash*, quod per fraudem in templo didicerat. Miracula patravit, ait R. Lipman, auctor libri הנצחון, verùm ea fecit vi incantamentorum suorum, quæ didicerat in Ægypto (1). Vide mihi, lector, quam non sint degeneres isti a suis parentibus, qui, postquam Salvator muto loquelam restituisset, hoc operâ Dæmonis ab eodem factum fuisse calumniabantur (Luc. Cap. XI, 15).

Pag. 118, v. 1.

אמ״יר אלמו״מנין כלי״פה. Vocabula Arabica sunt, quæ vertas : *princeps credentium* (qui honoris titulus est Chalifarum) *Chalifa*. Eadem vocabula Arabica habes etiam suprà p. 160 in notâ. Mox (p. 119, v. 3) occurrunt duo cognomina Arabica, quorum prius : *Burhan el-phelec*,

(1) Miraculum patratum esse in nomine Jesu commemoratur etiam in Talmude Hierosolymitano, tractatu *Aboda zara* (apud Raym. Martini in *pugionis fidei* Part. 3, Dist. 3, Cap. VII) ubi hæc leguntur : א״ר יוחנן : בר בריה של ריב״ל הוה ליה בלע אתא חד ולחש ליה מן שמיה דישוע בר פנתרי ואינשם.... א״ר יוסי בש״ר חסדא: מעשה באלעזר בן דומה שנשכו נחש ובא יעקוב איש כפר סכניא מתלמידיו של ישוע בן פנתריה לרפאתו וגו׳ h. e. Narrat R. Jochanan : filius filii R. Josua filii Levi glutiverat quoddam mortiferum ; mussilant super eum in nomine Jesu filii Pantheris et sanatus est..... Narrat R. Jose : factum est ut serpens momorderet Eleasarum filium Duma ; venit ad eum Jacob vir de pago Secaniah, unus de discipulis Jesu filii Pantheris, ut curaret eum, etc.

interprete Constant. L'Empereur notat *examen Astrologiæ;* posterius, *Sein eddin* vertas, *decus religionis.*

Pag. 120, v. 1.

וב שנת. De Zacutho sequentia nota ex Bartoloccii Bibliothecæ magnæ Rabbinicæ parte I, pag. 53 sqq. et Wolfii Bibliothecæ Hebrææ Vol. III, p. 66, sqq.:

R. Abraham Zacuth Hispanus oriundus ex urbe Salmanticensi, ex exilio Castellano (a. 1492) in Portugalliam receptus apud Emmanuelem Lusitanorum regem Astronomi et Chronographi personam egit, ubi etiam librum composuit quem *Juchasin* (יוחסין) inscripsit. Liber *Juchasin* seu *Prosapiarum* complectitur absolutam Chronologiam et historiam Judaicam a mundi exordio usque ad annum 5260, qui est 1500 post C. N. Zacutus noster in explicando catenam Kabbalæ seu doctrinam oralem a Moyse usque ad sua tempora potissimùm insudat; addit brevem Chronicam factorum regum Israelis et cæterarum nationum; idemque de Principe Judæorum apud Babylonios exulantium, quem ראש גולה aut רֵישׁ גָּלוּתָא *caput captivitatis* vocabant, deque illius auctoritate ac jurisdictione tractat; ubi et de duplici Academiâ *Soranâ* (סורא) et *Pumbeditanâ* (פומבדיתא) illiusque prærogativis disserit, deque aliis rebus, quæ tempore secundi templi acciderunt ex libro Ben

Gorionis excerptis. Item de sectis Judæorum quæ eâ tempestate maximè invalescebant, eorumque ritibus, vitâ et moribus luculenter agit. Ex variis hujus libri editionibus usus ego sum eâ quæ lucem vidit Amstelodami anno תעז (*secundum supputationem minorem*) h. e. 477, Christi autem 1717, apud Salomonem Proops, et exscripta est litteris quadratis. Inter alios Zacuti libros est etiam is cui titulus est ספר מתוק לנפש; dogmaticus hic est libellus tribus tantum capitibus constans. In I° agitur *de Animâ et de illius statu extrà corpus; de pœnâ animarum in Inferno inferiori;* ubi de duplici Inferno, superiore et inferiore; superiorem Purgatorium faciunt; inferiorem dicunt ubi nulla est redemptio. In II° *de sæculo futuro et cur ita vocetur.* In III° *de resurrectione mortuorum; et quomodo Deus resuscitaturus est homines cum eodem* numero *corpore et animâ ut priùs.*

Pag. 121, v. 6.

הנזירים. Essenos Zacutus hìc *Nazaræos* vocat, non quod putaverit eos fuisse ex eorum hominum classe qui in S. Codice passim *Nazaræi* vocantur, quorumque institutio *Numer.* Cap. VI legitur; verùm cum נזירים vocabulum, vi vocis, eos notet *qui se separant* sive a *certis rebus abstinent*, quemadmodum fert Essenorum institutum,

Nazaræorum nomen his tribuit. Confirmatur autem quod dixi ex eo quod Essenorum institutorem Zacuthus nominat Judam Galilæum qui Cæsaris Augusti contemporaneus fuit (1).

Essenorum nomen scribendum non est אשינום, uti id scribit Zacuth, Græcos aut Latinos imitatus; nam omninò videtur secta hæc nomen suum duxisse a verbo Aramaico אָסָא quod *sanare*, Græcè θεραπεύειν notat. Cæterùm quæstiones de Essenis varias et magno olim animorum æstu agitatas legesis in opere quod laudavi suprà pag. 146, not. 3. Cf. etiam Carpzovii annotationes in Thomæ Goodwini *Mosen et Aaronen.* Dictionnaire de Théologie par l'abbé Bergier. Art. *Esseniens.* Dr. Kalthoff, in Academiâ catholicâ Moguntinâ Professoris Handbuch der Hebräischen Alterthümer. Munster 1840, p. 157, sqq. Veteres auctores, quos tamquam fontes in hâc quæstione adire poteris, citantur a Kalthofio.

Nota. Post Zacuthum, qui inter Hebræos in historiâ conscribendâ operam suam collocarunt, præcipui fuêre R. Joseph sacerdos auctor libri cui titulus : דברי הימים למלכי צרפת; R. David Ganz auctor צמח דוד; adde opus historicum quod

(1) ויהודה הגלילי חדש כת ג׳ h. e. *Judas Galilæus instituit sectam tertiam* (i. e. Essenorum); et mox : והמתחיל היה יהודה הגלילי h. e. *Incæptor autem* (institutor sc. sectæ Essenorum) *fuit Judas Galilæus.* An verum hoc, nunc non disputo.

שבט יהודה inscribitur; item שלשלת הקבלה cujus auctor est R. Gedaljah ben Jechaja. Præterea fragmenta quædam historica habentur in Ephemeridibus litterariis Hebraico sermone exaratis, quæ המאסף inscriptæ sunt.

NOTÆ MISCELLANEÆ.

IN CAP. VI.

GRAMMATICI ET LEXICOGRAPHI.

—

De Kimchio pauca hìc ex Bartoloccio (Biblioth. Rabbin. part. 2, p. 24, seqq.) et Wolfio (Bibl. Hebr. Vol. III, pag. 188, seqq.) præmonuisse operæ pretium erit.

David Kimchi, vel (ut plenè ejus nomen plerumque scribitur in capite ejus operum tam typis quam manu exscriptorum) David ben Joseph ben Kimchi Hispanus (דוד בן יוסף בן קמחי הספרדי,) claruit sæculo post C. N. exeunte duodecimo. Ex quânam urbe oriundus sit penitùs quidem ignoratur; sed tamen dubitandum non est quin Hispanus sit, et inter Hispanos auctores Hebræos connumerandus. Inter populares suos communiter vocatur רד"ק *Radak,* uno sc. vocabulo ex trium dictionum harum ר' דוד קמחי litteris initialibus contracto. De eo ab eisdem usurpatur effatum illud ex פרקי אבות cap. 3 : אם אין קמח אין תורה h. e. *Si non est farina neque est lex,* quo, ad ejus nomen קמחי alludendo, significare volunt, sine Kimchio doctore non benè succedere studium Legis. Sic eodem sensu de eo

passim dicunt : אין קמח בלי קמחי h. e. *Non datur farina sine molitore*, quasi dicerent : *Non est doctrina sine doctore Kimchio*. Vocatur etiam ראש המדקדקים *caput et princeps Grammaticorum*, non quòd nihil aliud doceat quam Grammaticam; sed quòd cæteris omnibus Sacræ Scripturæ expositoribus in litterâ explicandâ accuratior sit atque fidelior. Præstantissimus inter Hebræos interpres est, et in Christianos parcus insectator; aliquando tamen, et præsertim in expositione nonnullorum Psalmorum contra Religionis nostræ sacra, calamum constringit acerbiorem. Libros noster scripsit exegeticos et grammaticos. Et ad scripta ejus exegetica quod attinet, commentarios edidit in singulos ferè Sacræ Scripturæ libros. Quod verò ad rem Grammaticam spectat, scripsit librum, cui nomen dedit ספר מכלול h. e. *liber complexionis*, qui dividitur in duas partes. Prior complectitur universam grammaticam linguæ sanctæ; posterior verò, quæ speciali nomine vocatur ספר שרשים *liber radicum*, est Lexicon absolutissimum omnium vocum, quæ in Sacris voluminibus Hebraicis reperiuntur. Utraque aliquando simul, aliquando seorsim excusa fuit. Sic seorsim ספר השרשים nunc typis exscribitur Lipsiæ a Tauchnitzio brevi in lucem edendus.

Pag. 129, v. 1.

נאום. Loca selecta quæ dedimus ex priore parte

libri מכלול, typis exscripta sunt secundum editionem quam hujus prioris partis procuravit Guidacerius (S. Theologiæ regius in Universitate Parisiensi Professor) Parisiis A° 1540.

Subjicimus hìc præfationis Kimchi in ספר מכלול interpretationem Latinam ejusdem Guidacerii; quam tamen in multis locis correximus, ut collaturo patebit (1).

« Dictum Davidis filii Joseph filii Kimchi, Hispani. Laudetur et exaltetur qui posuit spiritum hominis in medio ejus, et intellectum et rationem in corde ejus, ad investigandum et cognoscendum; animam intelligentem, ad calcandum semitas ejus (2), et ad tenendum vias ejus; ad accuratè observandum calles ejus; ad ambulandum in viis rectitudinis, et in semitâ integritatis, ad fruendum dulcedine Domini. Prætulit autem (*Deus*) Israelem omnibus nationibus, et linguam Heber omnibus linguis; inque ipsâ semet revelavit populo suo in uno montium, et locutus est ei decem verba (*Decalogum*), præcepitque prophetæ suo, docere eos mandata, et statuta et judicia justa. Erant autem edocti a pueritiâ

(1) Verbum verbo reddidimus, quantum quidem licuit per linguæ Latinæ indolem.

(2) Ad calcandum semitas ejus; puta : *divinæ Legis*; nam hoc vel simile quid, etsi non expresserit auctor, intellexerit tamen; id enim omninò postulant contextus et quæ ibidem habes affixa feminini generis. Forsitan legendum est : לדרוך שבילי תורת י״י.

eorum linguam Heber patris eorum; verùm ex quo exularunt patres nostri in terrâ non suâ inter gentes, didicerunt linguam earum, et obliti sunt linguæ sanctitatis; itaque assuefecerunt filios suos, et filios filiorum suorum usque in diem hanc loqui linguâ extraneâ, et labio peregrino, singuli pro linguâ suâ (*in usu*) in terris eorum, pro locis transmigrationis eorum, in Kedar, in Edom, et in omni natione et natione. Nec verò invenitur (1) in manibus nostris nisi quod relictum est scriptum penes nos scil. libri XXIV S. Scripturæ, et dictiones paucæ in verbis Misnæ. Proinde debemus edoceri (*ling. Hebr.*) ad (*normam illius*) quod nobis superest de eâdem linguâ, ut discamus uti eâ secundum regulas ejus nec corrumpamus eam, aut committamus solæcimos. Et verò jam pridem monuerunt nos hâc de re, et docuerunt semitam ejus (*linguæ Hebr.*) sapientes, qui (*fuerunt*) ante nos. Ac princeps docentium et (*ad regulas*) dirigentium linguam (*fuit*) R. Juda Fezzanus cognominatus Chiug, qui inveniens ipsam in tempore illo depravatam in ore hominum et corruptam in linguis eorum, composuit duos libellos lucentes sicut Sapphiri, librum de *remissis* et librum de *duplicantibus*, qui dant linguam doctorum, aperiunt oculos cæcos, et (*eorum ope*) lingua balbutientium festinabit loqui eleganter; et post

(1) Puta : veteris linguæ sanctæ monumentum aliquod.

R. Chiug vires accinxit sapiens magister Jona, qui aggressus est scribere libros multos, et agere de Grammaticâ linguæ et de significationibus (vocabulorum) ejus, prolixius quam omnes qui ante ipsum fuerunt, ex eis quos vidimus nos. Tum alii multi (*deinceps*) operam dederunt Grammaticæ, scripsitque unusquisque ex eis libros, suo cujusque nomine apposito. Quod si quis veniret (*habens in animo*) ediscere scientiam Grammatices (*velletque perlegere libros omnes qui de Grammaticâ sunt conscripti*) fatigaretur legendo omnes libros, quos composuerunt auctores, et necesse haberet incumbere iis omnibus diebus suis. Atqui non bonum est hominem esse solùm in scientiâ Grammatices, verùm necesse est ipsi (*etiam*) operam dare Legi, et mandatis, et expositionibus eorum, et necessitatibus modorum (1) eorum, verbis (*denique*) magistrorum nostrorum, memoria eorum (sit) in benedictione. Incumbendum autem est Grammaticæ viâ compendiariâ, viâ quæ sufficiat ipsi ut discat dictiones secundum rectitudinem earum, et cognoscat redundantiam litterarum, et defectum earum, et sit admonitus de hoc in orationibus ejus, in glossis ejus, in epistolis ejus, et in carminibus ejus.

(1) Puto Kimchium indicare hic veterum Rabbinorum in exponendo Pentateucho modos tredecim, de quibus peculiari libello inter alios egit David Millius in libro cui titulus: Catalecta Rabbinica in usum scholarum privatarum edita a Davide Millio. Trajecti ad Rhenum 1728.

Ac jam doctores nostri, memoria eorum (*sit*) in benedictione, monuerunt nos de hoc et dixerunt : semper doceat aliquis discipulum suum viâ brevi. Libri autem quibus aliquis incumbere debet, ad explendam majorem partem sufficientiæ suæ circa Grammaticam, (*sunt sequentes*), hi : libri sapientis Rabbi Judæ, cum eo quod addidit ipsi sapiens Rabbi noster Jona, memoria eorum sit in benedictione; ad discendam autem (*vocabulorum*) significationes : liber radicum. Attamen in ipsis multa dantur quæ non ex necessitate (sunt), et sine quibus disceret discens id quod (*scire*) necesse est ipsi; et (*vicissim*) in (*aliquibus*) locis deficientes (*sunt libri isti in eo*) quod (*scire*) necesse est ipsi. Itaque suscitavit Jehova spiritum meum, et corroboravit cor meum ad scribendum librum viâ brevi (*compendium*). Et veni sicut qui colligit spicas post messorem, et sicut colligens racemas post vindemiatorem; incessi autem in vestigiis eorum abbreviando verba eorum, scribendo librum cujus nomen vocavi sepher Michlol (*liber complexionis*); quia voluntas mea (*est*) complecti in eo Grammaticam Linguæ, et (*vocabulorum*) ejus significationes (*idque*) viâ brevi, ut sit facilè discipulis addiscere eam (*linguam*) et intelligere semitam ejus, et sit paratum ipsis in eo omne id quo opus habent ad (*discendam*) Grammaticam et (*cognoscendum verborum*) significationes. Scribam autem (primò) partem Grammaticalem,

et post hanc partem Lexicalem; (*in hâc*) autem ordine processi more antiquorum, ordinando (sc.) vocabula secundum ordinem litterarum (*alphabeticum*), ut sit (*unumquodque vocabulum*) æquè citò inventum ac quæsitum.

Dico autem principio quod lingua sancta, et sic omnis lingua, dividitur in tria capita, (quæ sunt) nomen, verbum, particula. Scribam autem primò caput (hebr.: portam) Grammaticæ (*quod tractat*) de verbis. Nam tametsi nomen sit ante verbum, quia verbum oritur a nomine, (dixerunt enim quod nomen (*est*) sicut corpus aliquod sustinens accidentia, verbum autem sicut accidens), tamen propter prolixitatem tractatûs de verbis, scribam caput (portam) Grammaticæ (*quod tractat*) de verbis primo (*loco*), et post hoc caput Grammaticæ (*quod tractat*) de nominibus; et post hoc caput Grammaticæ (*quod tractat*) de particulis. Verum in parte significationum (h. e. *Lexicali*) explicabo tria hæc simul secundum ordinem litterarum. A Jehova autem, a quo disponantur opera (*hominum*) et cui conveniunt laudes (*indè obvenientes*) peto auxilium ad incipiendum (*opus*) et ad absolvendum.

Pag. 138, v. 1.

ושמושי וגו׳. Selecta quæ hic damus, lector, desumpta sunt ex opere Grammatico quod inscri-

bitur מקנה אברם h. e. *peculium Abrahæ*, haustis verbis tituli ex Gen. Cap. XIII, 7, uti ferè solent scriptores Judæi ex aliquo S. Scripturæ loco desumere verba quædam, quæ libris suis ad modum tituli præfigunt. Auctor מקנה אברם est R. Abraham de Balmes, Italus ex Aletio, vulgò *Lecci*, in regno Neapolitano, oriundus, floruit Venetiis initio sæculi XVI. Opus ejus prædictum מקנה אברם est Grammatica linguæ Hebraicæ admodum prolixa. Quam ex Hebraico sermone, quo conscripta est ab auctore, Latinam fecit Daniel Bomberg Antverpiensis, de litteris Hebraicis optimè meritus, qui Venetiis (ut narrat R. David Ganz) anno 1511 omnium primus in eâ urbe cœpit libros Hebraicos cudere, magnâ diligentiâ usus, ut editi a se libri essent quam correctissimi. Ab eodem præsens opus excusum est primò Venetiis an. 1523, Hebraicè et Latinè, eâque editione nos hìc usì sumus.

Abraham de Balmes, præter Grammaticam suam Hebræam, libros alios ad Philosophiam Aristotelicam et Astronomiam pertinentes, partim Hebraicè conscripsit, partim ex Hebraicis Latinos fecit; eorum aliqui typis exscripti fuêre, alii conservantur in pluteis Bibliothecæ Vaticanæ. Operum ejus aliqua dicata fuêre Dominico Grimano sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Episcopo. Cf. Bartolocci, Biblioth. Magnæ Rabbinicæ, parte 1ª, pag. 34.

Pag. 143, v. 10.

אבל וגו׳. Inter exempla quibus usus erat Kimchi ad demonstrandum ימים subinde notare *annum*, recitaverat etiam locum 1 Sam. Cap. XXVII, v. 7: *fuit autem numerus dierum quibus mansit David in agris Philistinorum* ימים וארבעה חדשים h. e. uti ipse Kimchi mox explicat: שנה וארבעה חדשים *per annum et quatuor menses.* Sed mox corrigens quæ dixerat, ait: *attamen durum est* (אבל קשה הוא וגו׳) τὸ ימים, *quod in hoc loco legitur, interpretari* annum; *nam quomodo fuerunt* (contingere potuerunt) *omnes illæ res quæ fuerunt Sauli cum Davide intrà octo menses? nam duobus tantummodo annis Saul regnavit. Itaque* (locus ille ità) *exponendus est* (ut dicatur) *quatuor mensibus et diebus* (aliquot) *mensis quinti fuisse* (David) *in agris Philistinorum; horum autem dierum numerum* (S. Scriptura) *non commemorat. Atque ità* (etiam hunc locum) *interpretatur Targum* (nam habet): *dies* (aliquot) *et quatuor menses.* — An verum sit nec-ne, per duos tantum annos Saulem regnasse, quod interpretatio Kimchiana supponit, hujus loci non est inquirere.

Pag. 147, v. 5.

חשב. Postremi hujus loci ex Kimchiano Lexico selecti subjicimus hìc interpretationem Latinam.

חשב. *Saul autem* (חשב) *cogitabat* (i. e. habebat in animo) *efficere ut David caderet* (in manus Philistinorum). 1 Sam. Cap. XVIII, v. 25.... *Putabat autem Heli eam* (ויחשבה) *esse ebriam.* 1 Sam. Cap. 1, v. 13. *Existimare* (יחשב) *quis posset abyssum incanuisse.* Job. Cap. XLI, v. 24; cujus (loci) interpretatio (hæc) est : qui considerat abyssum (propter spumas a crocodilo actas) albicantem, existimaret eumdem incanuisse.

Forma autem gravis (h. e. forma *Pihel*) est : *Recogito* (חִשַּׁבְתִּי) *dies* (annos) *antiquos.* Psalm 77, v. 6. *Meditatus sum* (וָאֲחַשְּׁבָה) *ut intelligerem hoc.* Psalm. 73, v. 15.... *Navis autem putabat* (1) (חִשְּׁבָה) *frangi.* Jonæ Cap. I, v. 4; (cujus loci) interpretatio (est) : existimabant homines navis (qui navem conscenderant), navem (mox) fractum iri; quo modo (dicitur alibi), Gen. 41, v. 57 : *et omnis terra venit in Ægyptum;* cujus (loci) interpretatio (est) : et omnes homines terræ; (sic) ibid. v. 55, *et fame laborabat omnis terra Ægypti,* et (quæ sunt alia loca S. Codicis) similia his. — Significatio τῶ מחשבה (quam sc. vulgò habet) nota est. Jam verò quum artificium ali-

(1) h. e. parum aberat quin frangeretur; jam in eo erat ut frangeretur; confer Gallicum : *le vaisseau* pensa *se crevasser.* Attamen Kimchi, ut patet ex interpretatione quam huic loco statim subjicit, τὸ חִשְּׁבָה ità intelligit ut dictum illud velit non de navi, sed de iis qui in navem conscenderant.

quod fiat ope (1) cogitationis, locuti sunt sic (vocabulo חשב ejusque derivatis usi sunt, ubi sermo erat) de re artificiosâ, ut : *ad excogitandum res artificiosas* (מַחֲשָׁבֹת) Exod. Cap. XXXI, v. 4. Sic, *opere artificis* (חֹשֵׁב), ut puta, acu pictoris, *facies illas* (sc. cortinas). Exod. Cap. XXVI, v. 1.

Porrò nomen substantivum (a rad. חשב) est : חֵשֶׁב, ut : *et artificium* (2) (וְחֵשֶׁב) *Ephod ejus.* Ibid. Cap. XXVIII, v. 8, (quod nomen substantivum חשב scribitur) cum quinque punctis. *Et fecit in Jerusalem artificiosa* (חִשְּׁבֹנוֹת) (artificiosas machinas); 2 Paralip. Cap. XXVI, v. 15; (ubi observa) τὸ *dagesh* in litterâ ש esse ad ornatum (*euphoniæ causâ positum*). Ac jam similia observavimus in parte Grammaticali (nostri operis sc. ספר מכלל).

Sic etiam (eodem adhibito vocabulo) loquuntur in re arithmeticâ, et sapientiâ philosophicâ, ut : *quærere sapientiam et rationem* (וְחֶשְׁבּוֹן) (intelligentiam); Ecclesiastæ Cap. VII, v. 25. *Quia nec opus nec ratio* (וְחֶשְׁבּוֹן). Ibid. Cap. IX, v. 10. *Ipsi autem quæsivere rationes multas*; LXX Interpretes : καὶ αὐτοὶ ἐζήτησαν λογισμοὺς (חִשְּׁבֹנוֹת) πολλὺς. Ibid. Cap. VII, v. 30; τὸ *Dagesh* autem quod hìc

(1) Verbotenus : *viâ* cogitationis. Confer Gallicum : *par voie* (moyen) *de.*

(2) Sermo est de cingulo quo Ephod seu *superhumerale* summi Pontificis colligabatur.

est in litterâ SHIN *euphonicum* est ; vult autem loqui (S. auctor), de quæstionibus et argumentationibus super operibus Creatoris, quare hoc fecerit sic, quare illud ità, quum ipse fecerit eum rectum, et omnia opera ejus sint in fide. Pariter in re arithmeticâ (*eodem utuntur vocabulo*) quia supputatio pendet a cogitatione ; ut : *non imputavit* (יַחְשֹׁב) *ei Dominus peccatum.* Ps. XXXII, 2.

Forma *Niphal* est : *verumtamen non supputetur* (יֵחָשֵׁב) *cum ipsis argentum quod dabitur in manus eorum* (non quærantur ab ipsis rationes argenti accepti et expensi). IV Regum Cap. XXII, v. 7.

Verbum autem grave (forma verbi τῳ *dagesh* gravata, sive *Pihel*) tale est : *et non fiebat ratio* (יְחַשְׁבוּ) *iis hominibus*, IV Reg. Cap. XII, v. 15.

Forma *Hithpahel* est : *inter gentes non se reputant* (יִתְחַשָּׁב) ; Numer. C. XXIII, v. 9, ad quam (τῦ יתחשב significationem) propiùs accedit τὸ חָשַׁב in hoc Isaiæ Cap. XXXIII, v. 8 : *non rationem habet* (חָשַׁב) *hominum ;* quasi diceret : non commovetur eorum causâ, sed pro nihilo eos putat. Sic pariter : *despectus est nec reputavimus* חֲשַׁבְנֻהוּ *eum.* Ibid. Cap. LIII, v. 3... *Dominus reputavit me* (יַחֲשָׁב־לִי) ; Psalm. XXXIX, v. 18 ; quasi diceret : reputatæ sunt coram eo preces meæ et obsecrationes meæ, et commotus est ob miseriam et

ignobilitatem in quâ versor. Hinc porrò vocant doctores nostri virum honorandum, hominem חָשׁוּב.

Forma *Niphal* est : *non erat argentum ; nullius* (id pretii) *putabatur* (נֶחְשָׁב) *in diebus Salomonis* 3 Reg. Cap. X, v. 21. Interpretatio (hujus loci est) : ex argento nullum erat vas, sed omnia ex auro ; quia argentum nullius pretii putabatur in diebus Salomonis.

Pag. 151, 3.

יין. Auctor libri אהל מועד *Tentorium conventûs*, ex quo hìc loca selecta damus, est R. Salomo ben Abraham ben Samuelis Urbinas. Continet liber vocabula synonyma Hebraica quæ in S. Codice occurrunt. Auctor tamen dicendus est potius ea recensere, quam indicare discrimen quod inter varia similis significationis vocabula intercedit. Usus sum editione Venetianâ, quæ lucem aspexit בחדש אלול שנת חמשת אלפים שלש מאות ושמונה; atque hæc hucusque unica, quantum quidem rescire potui, hujus libri fuit editio. Similis argumenti liber ante decem, et quod excurrit, annos editus est Berlinii ; ejus titulus est : *Shemoth hannirdaphim* (שמות הנרדפים) *oder Synonymik zur beförderung der Hebräischen Sprache....... mit deutscher Uebersetzung nebst Anzeige wo sie in der heiligen Schrift zu finden sind ; bearbeitet*

von Joseph Hirschfeld Privatlehrer in Schwerin an der Warthe. Zweite verbesserte Ausgabe. Berlin. 1830. Hirschfeldius quodnam discrimen esse putat inter varia similis significationis vocabula, explicare conatur subjiciendo singulis synonymis interpretationem Germanicam. Accipe libri specimen :

אֶבֶן *Stein.* Genes. 2, 12.
צוּר *Fels.* Exod. 17, 6.
צֹר (1) *Scharfer Stein.* Ibid. 4, 25.
צַר (2) *Kies.* Isaia 5, 28.
סֶלַע *Fels.* 4 Moses 20, 8.
שֵׁשׁ *Weisser Marmor.* Esther 1, 6.
שַׁיִשׁ — — *Alabaster.* 1 Chron. 29, 2.
שָׁמִיר (3) *Diamant, Harter Stein.* Ezech. 3, 9.
חַלָּמִישׁ *Kieselstein.* Psalm. 114, 8.
חָצָץ (4) *Kleiner Kiesel.* Thren. 3, 16.
צְרוֹר *Steinkörnchen.* Amos. 9, 9.
אָזֶל (5) *Markstein.* 1 Sam. 20, 9. (?)

(1) Ad marginem notat auctor : ת"א טינרא.

(2) Ad marginem notat auctor : אבן חזק.

(3) Ad marginem notat auctor : במלה זאת יש דעות שונות.

(4) Ad marginem notat auctor : אבנים דקים.

(5) Ad marginem notat auctor : ערש"י; quâ compendiosâ scribendi ratione, ni fallor, vult dicere : *Inspice* (עיין) *Rashi* (in 1 Sam. 20, 9.)

כֵּף (6) *Fels, Klippe*. Jerem. 4, 29.

מַרְגֵּמָה *Steinhaufen*. Prov. 26, 8.

חַגְוֵי סֶלַע *Felsenritze*. Cantic. Cant, 2, 14.

נְקִיק סֶלַע *Felsenrisse*. Isaiæ 7, 19.

סְעִיפֵי סֶלַע — — — 2, 21.

נִקְרַת הַצּוּר *Höhle des Felsens*. Exod. 33, 22.

מְעָרוֹת צֻרִים — — — Isaiæ 2, 19.

פִּי פַחַת (2) *Klüfte*. Jerem. 48, 28.

אַבְנֵי גִר *Kalksteine*. Isaiæ 27, 9.

Hirschfeldius discrimen nullum ponit inter יַלְדָה, עַלְמָה, נַעֲרָה, בְּתוּלָה (inspice ejus operis pag. 111) quæ omnia reddit : *Mädchen;* nec pariter inter נַעַר et עֶלֶם (p. 198), quod utrumque reddit : *Knabe*. Non tamen esse ea vocabula prorsùs synonyma luculenter demonstrat clarissimus Drach in suo opere, cui titulus : *troisième Lettre d'un rabbin converti aux Israëlites ses frères sur les motifs de sa conversion; Rome et Paris* 1833; *pag.* 130 *et seqq.*

(1) Ad marginem notat : ת"א של סלע כיפא; h. e. Onkelosii Targum vocabulum סלע reddit כיפא.

(2) Ad marginem notat : כמו נקרת צור ערש"י וביאור. h. e. פי פחת *tantumdem valet ac* נקרת צור; *inspice Rashi et* ביאור h. e. *commentarium*; at quem? forsan commentarium in commentarinm Rashianum. Quum verò ejusmodi *supercommentationes* plures sint in Rashium, qnamnam ex iis anctor hic intellexerit non indicasset.

Pag. 156, v. 6.

ואלאנסן — וזוגתה. Arabica hæc præcedentium verborum (והאדם — אשתו) interpretatio est, litteris Hebraicis expressa.

Pag. 161, v. 8.

וכים וגו'. En hujus loci interpretationem Latinam: *Et percussit eos David* מהנשף ועד הערב 1 Sam. Cap. XXX, v. 17. *Dicunt utrumque vocabulum* (נשף et ערב) *notare* vesperam, *ut interpretatio verborum* : מהנשף ועד הערב *sit hæc* : *a vesperâ hujus diei usque ad vesperam diei sequentis, totâque hâc vesperâ usque ad mane crastinum* (1). *Quid autem est quod dicit scriptura* למחרתם? *Vult indicare crastinum duorum* נשפים (h. e. præcedentis diei et sequentis); *vocabulum autem* ועד *ibidem sit loco* duorum, *quasi dixisset : et usque in crastinum ipsorum. Verumtamen doctores nostri, sit memoria ipsorum in benedictione, sentiunt* τὸ נשף *notare tam principium noctis, quum scilicet tenebræ cadere incipiunt, quam principium diei, ubi tenebræ recedunt. Itaque in hunc versiculum* מהנשף ועד הערב *dicunt*, το מהנשף *itâ intelligendum esse ac si S. Scriptura dixisset* : מהבקר; *solere enim*

(1) Nota in adducto loco S. Codicis sic legi : ויכם דוד מהנשף ועד הערב לְמָחֳרָתָם.

etiam הבקר *designari vocabulo* נשף; *adduntque: dixit Rab Asche: duo dantur crepuscula* (נשפים): *crepusculum* (נשף) *diei, cùm dies venit; crepusculum* (נשף) *noctis, cùm nox cadit.*

Vocabulum נשף significare crepusculum tam matutinum quam vespertinum luculenter probari potest, 1[mo] ex IV Reg. C. VII, v. 5, ubi וַיָּקֻמוּ בַנֶּשֶׁף procul dubio notat: surrexerunt *vesperi*; quod constabit, collatis versiculis 1, 7, 12 et 18 ejusdem capitis; 2[do] ex Psalmo 118 (Hebræis 119), ubi, versiculo 147 τὸ בַנֶּשֶׁף, collato versu sequenti קִדְּמוּ עֵינַי אַשְׁמֻרוֹת, sine dubio de crepusculo *matutino* est intelligendum. De eodem crepusculo explicandum esse τὸ עֲדֵי נָשֶׁף, quod occurrit Jobi Cap. VII, v. 4, docent versiones LXX viralis et Chaldæa; quarum illa citata verba reddit: ἕως πρωΐ; hæc verò: עַד עִדָּן שַׁפְרְפָרָא h. e. *usque ad tempus auroræ*. Vulgata tamen cum locum reddit: *usque ad tenebras.*

Itaque נשף notat crepusculum tam *matutinum* quam *vespertinum;* hinc nunc πρωΐ nunc ὀψέ redditur a LXX. Si ergo ponamus Matthæum, qui non Græco sed patrio sermone scripsit, in principio Cap. 28 sui evangelii usum esse vocabulo נשף, non malè quis diceret interpretem Græcum lapsum esse, illud נשף vertendo ὀψέ (undè Vulgata quæ ad Græcum facta est habet: *vesperè*), quum id

debuisset reddi πρωΐ, h. e. ***diluculò, manè***, uti suadent ea quæ statim sequuntur : τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων; atque ità, reddendo principium C. 28 Matthæi sic : ***tempore auroræ quæ lucescit in primam Sabbathi***, omninò conciliatus foret Matthæus cæteris Evangelistis, in assignando tempore quo mulieres venerunt ad sepulcrum.

Quam mox exponebam conjecturam, primus, quantum scio, fecit Jo. David Michaelis; forsan tamen sine injuriâ eam vindicare quis posset S. Hieronymo. Is certè jam notaverat in eo loco sibi videri lapsum esse interpretem, qui Matthæum ex Hebraico Græcum fecit. Nam quærenti Hedibiæ cur Matthæus dixerit, ***vesperè autem Sabbathi, illucescente in unâ Sabbathi, Dominum surrexisse***, respondet : ***mihi videtur Evangelistam Matthæum, qui Evangelium hebraico sermone conscripsit, non tam*** vesperè ***dixisse quam*** serò ; ***et eum, qui interpretatus est, verbi ambiguitate deceptum non*** serò ***interpretatum esse sed*** vesperè. S Hier. ad Hedib. q. 6. T. IV, col. 173, b. Op. om. ed. Bened.

Pag. 162, v. 13.

והנ"ן. Sensus est : in præcedenti vocabulo קנצי τὸ ן esse loco duplicati צ; radicem enim τῦ קץ esse קצץ.

Pag. 164, V.

Inter specimina librorum Grammaticorum et Lexicographicorum postremò tibi exhibemus, Lector, selecta quædam loca ex vocabulario inscripto מַעֲרִיךְ הַמַּעֲרָכוֹת *ordinans dispositiones*, quod Bartolocci vocat Dictionarium Hebraicum, Talmudico-Rabbinicum, omnium absolutissimum. Ejus operis auctor est Philippus Aquinas, (פיליפא דאקיאן, ut ipse nomen suum exprimere in libris suis consuevit), ex Hebræo Christianus, Gallus, Carpentoractensis, dictus anteà, dum Judæus adhuc erat, Mardochæus; Aquini, urbe regni Neapolitani Christo initiatus est. Idem scripsit Theologiæ mysticæ quæstiones decem, ediditque excerptas ex *Zohar* aliisque libris sententias, quibus Orthodoxæ fidei articuli quidam contra Judæos defenduntur. Cf. Bartoloccii Bibliothecæ magnæ Rabbinicæ P. IV, p. 347, sqq.; Wolfii Bibliothecæ Hebrææ Vol. III, p. 929, sqq. et hujus opusculi vol. 2, Part. 1, pag. 2.

Ibid.

Interpretatio Latina eorum quæ leguntur in lexico Philippi Aquinatis in vocabulum **זה.**

I. זה סיני. Judic. Cap. V. Vocabulum (זה) indicat rem aliquam notam, de eâque usurpari solet; vel (etiam dicitur de re aut personâ aliquâ)

quam quis digito monstrat, v. g. *iste* (זֶה) *consolabitur nos.* Genesis, Cap. V.

II. *Hic* (בָּזֶה) occidite *et manducate.* 1 Samuel (1) Cap. XIV; cujus interpretatio est : in hoc loco. Sic pariter : מִזֶּה וּמִזֶּה ex hoc (loco) et ex hoc (loco) = hinc et hinc, utrinque. Exod. Cap. XVII. Nonnumquam autem deficit *Beth* servile : *adscendite* זֶה *per meridionalem plagam.*. Numer Cap. XIII; interpretatio est : per hanc (בזה) viam.

III. Et sic pariter : *Hoc* (זֶה) *cognovi quod Deus mihi adest.* Psalm 56. Cujus interpretatio est : per rem hanc ego cognovi mecum esse Deum.

IV. Vocabulum זה etiam determinatum aliquod tempus indicat. *Hoc* (זה) *diebus multis.* Jos. 22; (quem locum vertas : non reliquistis fratres vestros, per multos hos annos ad hanc usque diem. Ejusmodi זה reddi potest *ecce*, ἰδοὺ, ut sæpè LXX et Vulg.; vel (adverbialiter) *jam.* Josue Cap. XXII, v. 3).

V. Inter *τα* זה quæ in S. Codice occurrunt, dantur etiam quædam quæ officium præstant quale (est pronominis relativi) אשר. v. g. (is) *quem* (זה) *amavi aversatus est me.* Job. Cap. XIX, v. 19, pro אשר אהבתי. Sic pariter : *locus quem* (זה)

(1) Accipe aliud exemplum ex Gen. Cap. 38, 21 : לא היתה בָזֶה *non est in hoc* (sc. loco) = hic.

fundasti eis. Psalm. CIV, pro אשר יסדת. *Mons Sion in quo* (זה בו) *habitas.* Psalm. LXXIV, pro אשר בו. Sunt autem qui dicant τὸ זה secundum primigeniam ejus significationem notare *pronomen relativum;* idque rectè dicitur. Inveniuntur etiam (in S. Codice τίνα זה dicta) ad tempus præsens indicandum; sed tunc cum eo (sc. זה) conjungitur vocabulum *ecce* (הנה), et indicat accelerationem actionis cujusdam in tempore. v. g. *vox dilecti mei, ecce* (הנה זה) *venit.* Cantic. Cap. II, et similia.

VI. *A juramento tuo hoc* (הַזֶּה); Josue Cap. II, quasi *a verbo* (מדבר) *juramenti tui* (1). (Effertur hoc vocabulum זֹה) et cum *Cholem* : v. g. *hoc* (זֹה) *vidi.* Ecclesiastæ Cap. IX. *Hoc* (זֹה) *donum Dei est.* Ibid. Cap. V; (estque vocabuli hujus) genus femininum. (Invenitur) et cum *Vau* loco *He* : v. g. *quod* (זוֹ) *docebo eos.* Psalm. CXXXII. Occurrit etiam cum *Shurek*, (זוּ), tum verò masculini et feminini generis est: v. g. *populum quem* (זוּ) *formavi mihi.* Isaiæ Cap. LXXIII; et similia permulta. Sunt autem qui partem eorum (sc. τῶν זוּ quæ in S. Codice occurrunt) interpretentur

(1) Explicat hìc Aquinas quâ ratione זה, quod est pronomen demonstrativum masc. Gen., jungatur vocabulo שבועה, quod fem. generis est, docetque in citato exemplo τὸ הזה per quamdam veluti ellipsin in masculino genere hìc esse positum.

(2) זוֹ in loco hoc pron. relativ. est. Cf. dicta suprà.

אשר; id verò contextus determinare debet. Occurrit in feminino genere pronomen hoc scriptum cum 'א' ת. v. g. *Hæc* (זאת) *femina.*

Pag. 166, v. 5.

ואינה וגו'. Sensus est : מָה non usurpatur ubi sermo est de *homine*, sed ubi agitur *de re* aliquâ. Sic v. g : מה אתם quod legitur Judic. Cap. XVIII interpretêre : מה בשורה בפיכם *quale nuncium est in ore vestro* = quale nuncium defertis ; vel, מה אומרים אתם, *quid dicitis vos.*

Pag. 168, v. 1.

ומורה וגו'. Docet Aquinas τo מה occurrere etiam ad notandam id, quod quis animadvertit quidem, nescit tamen quid sit. Cf. Gallicum : *un je ne sais quoi.*

Pag. 171, 14.

ויש מהם וגו'. Quod Aquinas noster hìc docet, scilicet vocabulum Hebraicum עולם nonnumquam indicare tantùm longum aliquod temporis spatium, id confirmat Kimchi. Sic enim scribit in radicem עלם in suo ספר השרשים.

תְשׁוּעַת עוֹלָמִים (ישעיה מ"ה) ;העולם הזה והעולם

הבא ; וְכן: אָגוּרָה בְאָהָלְךָ עוֹלָמִים (תהלים ס"א); או פירושו: זמנים ארוכים, כי כן בא על ימים רבים קצת העולם הארוך: וַעֲבָדוֹ לְעוֹלָם (שמות כ"א); ר"ל כל הימים עד היובל. כִּי מֵעוֹלָם שָׁבַרְתִּי עֻלֵּךְ (ירמיה ב'); מזמן רב. לְעוֹלָם לֹא אֶשְׁכַּח פִּקּוּדֶיךָ (תלים קי"ט), והדומים לו; רוצה לומר: כל ימי חיי. h. e. *salute seculorum*, Isaiæ Cap. LXV; quasi dicat : hujus sæculi et sæculi futuri. Ita pariter : *inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula* (עולמים); vel interpretatio ejus loci est : longo tempore; nam eo modo occurrit (vocabulum עולם) de multis annis seu parte longioris ævi. *Et serviet illi in æternum* (לעולם) Exod. XXI; vult dicere (S. Scriptura) : omni tempore usque ad Jubilæum. *Nam a sæculo* (מעולם) *confregisti jugum meum.* Jerem. Cap. II, h. e. : a multo jam tempore. *In æternum* (לעולם) *non obliviscar mandata tua.* Psalm. CXIX; et huic similia; vult autem dicere : toto vitæ meæ spatio.

Kimchio consonat R. Joseph Albo (apud Du Voisin) in suo opere ספר עקרים inscripto, Lib. III, Cap. 16, qui hæc habet : ומלשון עולם או עד עולם או חקת עולם או לעולם אין ראיה כי כבר יִמָּצְאוּ אלו הלשונות ודומיהן על זמן מוגבל לא על זמן בב"ת; כמו: ועבדו לעולם, שהוא עד שנת היובל. h. e. Ex dictione autem *sæculum*, vel *us-*

que in sæculum, vel *statutum perpetuum*, vel *in æternum*, nullum duci potest argumentum (sc. ad probandam æternam et immutabilem esse legem Mosaicam); hæ enim dictiones et similes reperiuntur usurpatæ pro tempore determinato nec infinito, ut (Exod. 21, v. 6.) *et serviet ei in sæculum* (לעולם), quod est, usque ad annum Jubilæi.

Nec otiosum est domesticâ auctoritate hanc τȣ עולם significationem comprobasse; ità enim Judæis recentioribus eripitur argumentum illud quod pro perennitate suorum ritûum et cæremoniarum ex eodem vocabulo ducere solent; sic edocti, uti puto, a Maimonide. Quem videsis Cap. IX *de fundamentis Legis*, p. 119, ex editione Vorstii; Amstelod. 1638. Cf. etiam si placet Joh. Lent *de modernâ Theologiâ Judaicâ*. Herbornæ 1694, p. 504 et seqq.; et imprimis Jos. Du Voisin, *Observationes in proœmium Pugionis fidei*, pag. 149 et seqq. in editione Lipsiensi et Francofurtensi anni 1687.

Pag. 172, v. 3.

יש מפרשים וגו׳. Accipe Lector, hujus loci interpretationem. Aquinas suprà v. 1, dixerat vocabulum עולם nonnumquam etiam notare *mundum creationis* (1); quod dein, duobus exemplis

(1) Mundus creationis (בריאה) (אצילות, בריאה, יצירה, עשיה) unus est ex quatuor mundis quos distinguunt Kabbalistæ. Cf.

adductis, confirmat; quorum posterius est ex II Paralip. Cap. XXXIII, *ponam nomen meum* לְעֵילוֹם. Deinde notat a quibusdam τὸ עילים derivari a עֶלֶם, quod vocabulum *juvenem* (נער) notat, atque ideò ab his *mundum* (עילום) deduci a עֶלֶם (Juvenis) quia mundus non deperit, uti homines solent annis provectiores, sed perpetuò floret, quasi semper juvenis. Alii autem, addit Aquinas, volunt mundum עולם dici in eâ significatione quam habet verbum עלם in phrasi : ונעלם דבר, *abscondita res est* (ut mundus dicatur quasi *absconsio*), idque ob ejus mysteriorum multitudinem, etc.

Jo. Fr. Buddei *introduct. ad historiam Philosophiæ Hebræorum*. Halæ Saxorum, 1720, p. 372 et sqq.

NOTÆ MISCELLANEÆ.

IN CAP. VII.

S. SCRIPTURÆ INTERPRETES.

—

Inter selecta ex S. Scripturæ Interpretibus exhibentur hìc primùm loca quædam ex libro qui *Mechilta* (מכילתא) vulgò dicitur, hoc est, *jus et consuetudo Judæorum*, seu liber, in quo hæc explicantur, ut notat doctissimus Congregationis Oratorii Presbyter Morinus (1). *Mechilta*, docente Wolfio (2), commentarius est in aliquot Exodi capita, ita ut incipiat a capite XVI, v. 1, et, non interruptâ serie, pergat usque ad caput XXIII, 20; hinc, omissis, quæ interjecta sunt, capitibus, commentatur liber in Exod. cap. XXXI, 12, 17, iterumque in Cap. XXXV, 1—4. Commentandi ratio suscepta est, ut Wolfius observat (loc. laud.) secundum tredecim modos seu regulas exegeticas, quæ R. Ismaeli acceptæ referuntur, pertinetque ad illustrandos varios Hebræorum ritus, legesque cæremoniales, ut antiquitatum Judaicarum studiosis usui esse possit.

(1) Jo. Morinus Lib. II. Exercit. IX, Cap. I, p. 384. Ed. Paris. A. 1686.

(2) Vid. Biblioth. Hebrææ Part. II, pag. 1349.

De auctore Mechilta variè sentiunt Scriptores Judæi ; quorum diversas sententias si quis scire cupiat, adeat Wolfium (loc. laud.) et Blasium Ugolinum (1). Non eam Mechiltæ antiquitatem esse quæ jactabatur, probavit Morinus (2), allatis argumentis ex ipso libro depromptis, quæ verè dicenda sunt conficere rem, non confectura tamen, si probari posset incorruptum ad nostras manus non pervenisse librum, sed hìc illìc fuisse interpolatum.

Variæ fuêre ejus libri editiones, quas recenset Wolfius loc. laud. Quibus addas editionem omnium recentissimam Blasii Ugolini, quâ nos usi sumus, quæque legitur in ejus Thesauri Antiquitatum sacrarum volumine XIV, quod dicavit Joachino Portocarrero S. R. Ecclesiæ Cardinali.

Pag. 173, v. 4.

מה—לומר. Verbotenùs : *quæ doctrina* est *in dicendo* hæc et hæc, de quibus sermo instituitur. Formula frequentissima est in ore Talmudicorum, ad quorum scriptorum classem meritò etiam referas auctores ***Mechilta*** et ***Siphra;*** de hoc libro mox dicturi sumus. Sensum autem ver-

(1) In præfatione quam præmisit suæ hujus libri editioni, de quâ mox.

(2) Anno quingentesimo posteriorem esse librum censet.

borum לומר — מה benè hìc ità v. g. reddideris : *Quis ergo sensus hujus loci : et vidi sanguinem?*

אֶלָּא hìc vertas *sed, verùm*. Respondet tamen particula adversativa hæc propositioni alicui non verbis expressæ sed mente conceptæ, quæque in contextu latet; v. g. in loco de quo nunc agimus, recitata erant verba hæc : *et videbo sanguinem,* ad quæ commentator ad modum objectionis dicit; at quî dici potest de Deo eum *visurum* aliquid, cùm omnia sint ejus oculis manifesta? Quis igitur loci illius erit sensus? Respondet : non ideò dicitur *videbo,* quasi non omnia sint manifesta oculis Dei (*quæ mente supplenda sunt*) sed (אלא) (sensus τῦ *videbo* est) propter retributionem præcepti, quod vos facitis, ego me revelabo et miserebor vestri.

Accipe aliud hujus particulæ אלא exemplum superiori geminum ex ילקוט שמעוני in Parashâ וירא אליו ad verba hæc: וישכם אברהם וגו'; p. כח, column. 1. in editione Francofurtensi. » וישכם אברהם בבקר ויחבוש את חמורו. « א"ר שמעון בן יוחאי: אהבה מקלקלת השורה, שׂנאה מקלקלת השורה. אהבה מקלקלת השורה, שנאמר: וישכם אברהם בבקר ויחבוש את חמורו; וכי לא היו לו עבדים? אלא אהבה מקלקלת השורה. ושנאה מקלקלת את השורה, שנאמר: וישכם בלעם בבקר

ויחבוש את אתונו; וכי לא היו לו עבדים? אלא שנאה מקלקלת את השורה. h. e. *Surrexit manè Abraham et stravit asinum suum*. Gen. Cap. XXII, v. 3. Dixit R. Simeon Ben Jochai : amor pervertit lineam (h. e. justum rerum ordinem), et odium pervertit lineam. Amor pervertit lineam, sicut dictum est : *et mane surrexit Abraham et stravit asinum suum*. Numquid fortasse Abrahamo servi non erant (qui ejus loco asinum sternerent)? (*nunc supple mente tua* : nequaquam illi deerant, neque hoc est quod Scriptura dicere intendit) sed (אלא) lineam pervertit amor. Etiam odium pervertit lineam, sicut dicitur : *surrexit Balaam manè et stravit asinum suum*. Numer. Cap. XXII, v. 21. Numquid fortasse etc.

Miratus sum Davidem Millium, qui peculiari libello copiosè tractavit (1) *de modis loquendi et disputandi formulis Talmudicis*, inter haud pauca quæ scribit de אלא, non etiam commemorasse usum hujus voculæ eum, de quo mox agebamus.

Pag. 174, v. 3.

עקדתו של יצחק. Isaac typum fuisse Salvatoris nostri rectè hìc observat Ugolini, nec obscura res est iis quibus Typi, utpotè prophetiæ reales, non sunt exosi. Cruenta itidem veteris legis

(1) In Catalectis Rabbinicis. Trajecti ad Rhenum. 1728.

sacrificia typum gessisse sacrificii illius cruenti, quo in Golgothâ Christus erat mactandus, apud eosdem in confesso est. Golgotha autem (גָּלְגָּלְתָּא, גֻּלְגֹּלֶת, in N. T., eliso ל posteriori, Γολγοθὰ, quod vocabulum *Cranium* notat) collis exiguus est (a formâ humani cranii ita dictus) et ab Eusebio et Hieronymo in Onomastico collocatur ad septentrionem montis in quo templum ædificatum erat h. e. montis Sionis, cujusque adeò pars haberi potest.

His præmissis, juvat hìc consignare traditionem Hebraicam, quam memorat Maimonides in suis הלכות בית הבחירה sive *constitutionibus de domo electâ* (h. e. de templo) Cap. II, pag. 763, apud Ugolinum in *Thesauri Antiquitatum sacrarum* Vol. VIII, quod dicatum est summo Pontifici Benedicto XIV.

המזבח מקומו מכוון ביותר ואין משנין אותו ממקומו לעולם שנאמר: וזה מזבח לעולה לישראל ובמקדש נעקד יצחק אבינו שנ׳: ולך לך אל ארץ המוריה; ונאמר: ויבן שם שלמה את הבית בהר. ומסורת ביד הכל שהמקום שבנה בו דוד ושלמה בגורן ארונה הוא המקום שבנה בו אברהם המזבח ועקד עליו יצחק. והוא המקום שבנה בו נוח כשיצא מן התיבה והוא המזבח שהקריב עליו קין והבל ובו הקריב אדם הראשון קרבן כשנברא

ומשם נברא. אמ' חכמים: ממקום כפרתו נברא.
h. e. Altaris ratio perquam accuratè descripta est. Situs ejus mutatur numquam, quia scriptum legitur : *Et hoc altare in holocaustum Israel* (1 Paral. 22, 1). Atque ubi situm est templum, ibidem fuit etiam ligatus Isaacus Patriarcha noster : nam scriptum habemus : *et vade in terram Moria* (Gen. 22, 2). Et dicitur (in 2 Paralip. 3, 1): *et cœpit ædificare Salomon domum Dei in monte* (Moria). Omnes traditione accepimus locum, in quo David et Salomo in areâ Araunæ (1) altare exstruxerant, in eodem Abrahamum aram struxisse et Isaacum ligasse. Idem ille locus est, in quo Noach ex arcâ egressus altare condidit. Etiam Cain et Abel ibi obtulerunt. Imò ibidem primus homo mox ac creatus erat, sacrificavit; quin etiam in eodem loco creatus est. Hinc Sapientes dicunt : Adam ex loco expiationis suæ creatus est.

Ibid. v. 5.

Quæ hìc damus selecta sunt ex ספרא *Siphra*, h. e. *liber*; κατ' ἐξοχὴν ita vocatur liber antiquissimus, de cujus auctore, docente Wolfio (in Bibliothecæ Hebraicæ parte II, pag. 1387 et sqq.) variæ sunt ipsorum Judæorum sententiæ. Veri

(1) Vide 2 Paral. Cap. III, v. 1.

maximè simile putat Wolfius (ibid), hunc librum a discipulis Jehudæ (1) Bar Elai (אלעאי), ex cujus ore hanc doctrinam illi hauserant, in litteras relatum esse, sive *Rab* (רב), sive alius quicumque hanc operam perfecerit. Hoc ut credamus, subdit Wolfius, suadet *Juchasin* p. 30, quando ait: *Videtur Rab composuisse Siphra, consensu R. Judæ ben Elai, sicut Rabbi obsignavit Mischnajoth ex consensu R. Meir.* Cf. etiam, si placet, præfationem quam præstantissimæ suæ τῦ ספרא ediditioni præmisit Ugolinus, quæque legitur in *Thesauri Antiquitatum Sacrarum* Volumine XIV. Vir hic doctissimus et litteraturæ Orientalis decus sui ævi maximum de utroque libro *Mechilta* et *Siphra* dicit (ibid. in præf.): uterque eruditorum omnium judicio tantoperè celebratus est, ut philologiæ sacræ thesaurus et promptuarium habeatur. »

Quod ad argumentum libri (Siphra) attinet, ait Wolfius ibid., refertur is ad Leviticum, in quem commentatur, undè etiam appellari solet תּוֹרַת כֹּהֲנִים *Lex sacerdotum*, quia scilicet potissima sacerdotum officia et munia in eodem exponuntur. Varias libri *Siphra* editiones recenset Wolfius (ibid), quibus adde Ugolinianam, quæ recentissima est, quâque nos usi sumus. Extat etiam commentarius in *Siphra* sub titulo קָרְבַּן אַהֲרֹן, quem elaboravit Aaron ben Chajim.

(1) Floruit is sub Hadriano Imperatore.

Pag. 174.

Interpretatio Latina Ugolini locorum selectorum ex Siphra in Levit. C. XXVI.

—

Et congregabimini in urbes vestras : obsidionis causâ. *Et immittam pestilentiam inter vos,* ità ut mors vos occidat intùs et inimici vos foris obsideant. *Et trademini in manus inimioi.* Constitutum erat, ut non pernoctaret mortuus Hierosolymæ; et quando illum educebant ad sepeliendum, qui sepeliebant mortuos suos incidebant in manus hostium.

Et comedetis carnem filiorum vestrorum et carnem filiarum vestrarum comedetis. Dixerunt de Doeg ben Joseph, eum morientem reliquisse filium parvulum matri suæ, quem illa singulis annis palmis metiebatur, cujusque pondus auro rependebat Deo; quando verò Hierosolyma obsidione cincta est, manu suâ illum jugulavit, et comedit; et de eâ questus est Jeremias, dicens : *Domine, an comedere debebant mulieres fructus suos, parvulos quos in manibus gestant.* Lament. Jerem. C. II, 20. Respondet Spiritus S. : *An debebat occidi in sanctuario Domini sacerdos et propheta.* (Ibid.) Iste est Zacharias filius Jehojadæ sacerdotis....

Et vos dispergam inter gentes. Hæc dura Israelitarum conditio est : quando provinciæ alicujus incolæ abducuntur in locum aliquem, inter se

sese vident et invicem consolantur; at vos non ità eritis; sed futurum erit, ut vos dispergam inter omnes nationes, sicut homo, qui ventilat ventilabro hordea, quorum alterum alteri non adhæret; dictum est enim : Jerem. XV, 7. *Et ventilabo illos ventilabro in portis* (finibus) *terræ, et disperdidi populum meum, a viis suis non sunt reversi.*

Et evaginabo post vos gladium. Gladius, qui evaginabitur post vos, citò non revertetur, sed erit sicut aquæ effusæ, quæ non iterum ingredientur in sua vasa.

Et erit terra vestra devastata, et civitates vestræ desolatæ. Hæc dura Israelitarum conditio est : quando quis abducitur in captivitatem a vineâ suâ et a domo suâ, sed eò (aliquando) revertetur, ejus vinea et domus sunt quasi non essent desolatæ; at vos non ità eritis; sed *erit terra vestra devastata, et civitates vestræ desolatæ.* Quam ob causam? quia non aliquando eò redibitis.

Et non erit vobis firmitas coram inimicis vestris. Hoc fuit tempus, in quo capta est Hierosolyma.

Et qui relicti fuerunt ex vobis etc. Atqui promisit Deus non judicaturum patres propter filios, neque filios propter patres. Dictum est enim (Deut. XXIV) *Non interficientur patres propter filios neque filii interficientur propter patres.* Si ità est, cur dictum est : *etiam ob peccata patrum*

suorum colliquescent? (Hoc quidem verum est, sed non) nisi quando imitantur etc. *Ex interpretatione Ugolini, quam tamen paullò negligentiorem hic illic corrigendam putavi.*

Pag. 177.

Aben Ezra, vel plenius, Rabbi Abraham ben Meir Aben Ezra (ר' אברהם בן מאיר אבן עזרא) qui ab Hebræis κατ' ἐξοχήν vocatur הֶחָכָם i. e. *sapiens*, et, vocabulo contracto ex litteris initialibus ejus nominis et cognominis, הראב"ע vel א"אע, natus est Toleti, ut auctor est Wolfius (1), qui addit annum ejus natalem non memorari a Judæis, eosdemque inter se dissentire de anno quo mortuus sit. Quorum varias sententias si quis scire cupiat adeat Wolfium (loc laud.) vel Bartoloccium (2). Id exploratum est eum floruisse sæc. XII post C. N., uti probat Wolfius (loc. laud.).

Fuit, ut narrat Bartolocci (loc. laud.), excellens Philosophus, Astronomus, Medicus, Poeta, Grammaticus, Kabbalista et S. Scripturæ famosus Interpres. Richardus Simon (3) (Hist. Crit. V. T. Lib. III, C. 5) negat inter Judæos quemquam esse, qui tam literaliter et sapienter Scripturam interpretatus sit. In eo tamen sæpè desideratur per-

(1) Biblioth. Hebr. T. I, p. 71, sqq.

(2) Biblioth. magn. Rabbin. Part. I, pag. 36, sqq.

(3) Apud Wolfium. Ibid. T. I, pag. 72.

spicuitas; nam stylo valdè conciso utitur, quo fit, ut, dum brevis esse laborat, fiat obscurus (1). Porrò variarum etiam linguarum habuit notitiam ac præsertim Arabicæ, quod ex ejus commentariis passim liquet. Præclaro ingenio præditus, rerumque perscrutandarum curiosus, domo relictâ paternâ, totum ferè vitæ suæ spatium in peregrinationibus consumpsit; atque Angliâ, Galliâ, Italiâ, Græciâ, aliisque diversis mundi regionibus perlustratis, tandem in Rhodo insulâ vitæ periodum claudit, incerto, ut suprà diximus, anno (2). Opera erudita et varia scripsit Aben Ezra, exegetica, theologica, grammatica, philosophica, astrologica, mathematica et poetica, quorum catalogum texêre Bartoloccius et Wolfius qui et varias eorumdem editiones recenset.

Pag. 178, v. 5.

בין שנגלה הסוד. Plenior syntaxis hìc postulasset: לנו הסודן; cæterùm obiter hìc notare juvat non latuisse Aben-Ezram ratio typica legis Mosaicæ. Itaque et ipse novit *umbram habere legem futurorum bonorum* (Ep. ad Hebr. Cap. XVI), quæ ego bona Judæis proximis meis sincero animo apprecor,

(1) Monet Bartolocci (loc. laud.), advertendum esse in commentariis Aben Ezræ super Pentateucho, quædam loca reperiri notatu digna, quæ ipse ità signavit יש לו סוד, aut שלו סוד h. e. *hìc reperitur mysterium*, seu *ibi latet mysterium.*

(2) Cf. Bartolocci Bibl. magn. Rabb. loc. laud.

illum imitatus qui divino amore percitus dicebat : *optabam* (Ηὐχόμην) *anathema esse pro fratribus meis secundum carnem* (Ep. ad Rom. Cap. IX, v. 3).

Testimonio Aben-Ezræ de ratione typicâ legis Mosaicæ juvat addere et hoc R. Josephi Albo in ספר עקרים lib. III, C. 21 (apud Du Voisin in observationibus in proemium Pugionis fidei p. 96, in edit. Lipsiensi-Francofurt. A. 1687) אף אם נמצאו בתורה דברים רבים הסכימו בהם כל החכמים היותם רומזים לעניינים נכבדים עליונים ועניינים שכליים כספור גן עדן והארבעה נהרות וזולתם לא בעבור זה הכחישו מציאותם ושלא יהיו אמת כפשטן אבל יאמרו שעם היות הדברים ההם נמצאים כן במציאות רמז יש בהם לעניינים יותר נכבדים עליונים כמו שמלאכת המשכן נמצאת כן במציאות והוא רמז לעניינים עליונים נכבדים... ועל דרך זה הוא שאמר כי ירושלים של מטה הוא משל לירושלם של מעלה ולא אמרו כן להכחיש מציאות ירושלים של מטה .שהיא לעניין נכבד מצד עצמו כלומר שתהיה משכן לשכינה.... וכן נבין שיש בתורה דברים רומזים לענייני' אחרים נכבדים ולרמזים עליונים והם עם זה אמתיים כפשטן. h. e. (ex versione Du Voisin) Etsi re-

periantur in Lege multa, quæ sapientes omnes fatentur signa esse rerum inclytarum sublimium, rerumque spiritualium, qualis est descriptio horti Eden et quatuor fluviorum, etc., non ideò tamen negant veram eorum extantiam secundum litteralem sensum; verùm dicunt res illas, quæ sic extant reverâ, signa esse præthereà rerum præstantiorum superiorum; tale erat opus *Tabernaculi,* quod reverâ sic extabat; erat autem figura rerum superiorum præstantiorum.... Similiter dicunt *Jerusalem inferiorem* figuram esse *Jerusalem superioris* (1); sed non ità ut negent extantiam *Jerusalem inferioris*, quæ per se nobile officium habebat, ut esset tabernaculum divinæ majestatis.... Sic intelligimus esse in Lege res quæ sunt signa rerum aliarum præstantiorum superiorum, et quæ tamen reverâ extant secundum litteralem sensum. —

Porrò in eamdem sententiam loquitur Glossa Talmudica (2) ad Cap. V, tractatûs ברכות inscripti : נתן לנו ית׳ ציורי המשכן והמקדש וכל כליהם המנורה והשלחן והמזבחות לציורים שכליים ולהתבונן מהם האמתות העליונות. i. e. *h. e.* Dedit nobis Deus, cui laus, figuras tabernaculi et sanctuarii, et omnis eorum suppellectilis,

(1) Cf. Ep. ad Galatas C. IV, v. 25 et 26, *ea quæ nunc est Jerusalem.... ea quæ sursùm est Jerusalem.*

(2) Apud eumdem, ibid. p. 166.

candelabri, mensæ et altarium in figuras spirituales ad percipiendum indè veritates superiores.

Pag. 181, v. 1.

קרית שמע h. e. lectio τs שמע scil. *audi Israel Deus noster* etc.; precatio (1) est ex S. Scripturâ desumpta quam bis quotidie Judæi recitant. De quâ precatione, si quis plura cupiat, adeat Buxtorfii Synagogam Judaicam, Cap. X, ex edit. Basileensi anni 1680, pag. 205, sqq.; et Salomonem Jacobum Cohen, p. 205 (Lipsiæ A. 1819) ejus operis cui titulus : סדר העבודה *Historisch-Kritische Darstellung des Judischen Gottesdienstes und dessen Modificationen, von den ältesten Zeiten an, bis an unsre Tage*; item Paulum Medici pag. 75 ejus operis, quod inscribitur : *Riti e costumi degli Ebrei confutati dal Dott. Paolo Medici, coll' aggiunta di una Lettera all' universale del Giudaismo, compilata colle riflessioni di Niccolò Stratta già Rabbino Ebreo, e poi Cattolico Romano.* In Venezia 1801.

Post precationem quam diximus, alia sequitur itidem manè et vesperè recitanda quam vocant (2) שמנה עשרה (h. e. octodecim) quia ab origine

(1) Præcatio hæc complectitur e Deuteronomii capite VI versiculos sex (4—10); ex cap. XI, versiculos novem (v. 13. *Si ergo obedieritis* usque ad 22; e Numerorum capite XV, versiculos quatuor (38—41).

(2) Scil. ברכות.

formulis precum constabat octodecim, quibus auctores Mishnici unam addidêre, ut nunc constet novemdecim.

Illarum unam hìc adscribam, quæ non parùm offendit Christianorum animos, quæque peccat contra Dei legem de diligendo proximo: ואהבת לו כמוך (Levitici Cap. XIX, v. 34, ubi præceptum est diligendi homines sine discrimine omnes.

Legitur in סידור שפה ברורה pag. כה (editionis Roedelheimensis A. 1826) hoc modo: ולמלשינים אל תהי תקוה וכל עושי רשעה כרגע יאבדו וכלם מהרה יכרתו; והזדים מהרה תעקר ותשבר ותמגר ותכניע במהרה בימינו ברוך אתה יי שבר איבים ומכניע זדים. h. e. « Proditoribus (1) autem ne sit spes (sc. veniæ), et omnes qui operantur malum (2) momento pereant; et omnes illi (3) citò exscindantur; superbos (4) autem citò eradicato,

(1) In exemplaribus Mss. pro ולמלשינים est: ולמשמדים h. e. *Apostatis* sc. Judæis qui a religione Judaicâ ad aliam, Christianam puta, defecerunt; ità etiam legitur in editionibus Polonicis antiquis.

(2) In exemplaribus Mss. et in editt. Polonicis antiquis pro וכל עושי רשעה legitur: והמינים.

(3) In exemplaribus Mss. et in editt. Polonicis antiquis pro וכלם legitur: וכל אויבי עמך h. e. *et omnes inimici populi tui.*

(4) Ibid. pro והזדים legitur: ומלכות זדון h. e. *et regnum superbiæ.* Edicant Judæi quodnam regnum hìc intelligant. Cf. auctores suprà laudatos et Buxtorfium in Lexico majori in radicem שמד.

comminuito, dejicito et humiliato citò, in diebus nostris (*dum nos sumus superstites*). Laudetur Deus qui frangit hostes et humiliat superbos (1). »

Ibid. v. 6.

ורבים. Quo tempore Christus Deus *cum hominibus conversari dignatus est* plures fuisse inter Judæos, qui censerent pravas cogitationes culpâ vacare, colligitur ex Matth. Cap. V, 27.

Pag. 181, v. 10.

הגאון. Notat Buxtorfius in lexic. maj. ad גאון (*excellens*), vocabulum illud esse Rabbinis usitatum epitheton virorum doctrinâ et virtutibus præcellentium, ut : רב שרירא גאון *Rab Sherirah Gaon;* in specie autem et κατ' ἐξοχήν vocari *Geonim*, (גאונים), quia singulari doctrinâ excellebant, sapientes illos Talmudicos, qui post *Amorajim* (אמוראים) et *Seburajim* (סבוראים) floruerunt. De *Amorajim* et *Seburajim* explicatius dicturi sumus ubi sermo erit de opere Talmudico. Sed quis ille Gaon (הגאון) quem Aben Ezra hìc falsi dogmatis arguit, cujusque nomen et cognomen tacet? Est is

(1) Decreta a Friderico rege Borussiæ edita contra hanc precatiunculam (A° 1704) et aliam quæ incipit : עלינו (A° 1702) si quis legere cupiat, adeat libellum cui titulus : *Moses Mendelsohns und Georg David Kypke Aufsätze über judische Gebete und Festfeiern aus Archivalischen Acten herausgegeben von L. E. Borowski. Königsberg* 1791.

R. Seadja (1) Gaon (ר׳ סעדיה גאון), ut plenè eum vocat Aben Ezra in libro suo יסוד מורה, ubi hæc habet (2): והגאון ר׳ סעדיה חבר ספר האמונות וי״ש בו שערים שאין שיעור לדבריו. h. e.: *Hagaon* ille R. Saadias librum composuit *de credendis*, in quibus sunt capita quædam, ubi verbis ejus deest norma (h. e. in capitibus quibusdam auctor deficit a regulâ veri (?)). Confirmatur autem R. Saadian Gaon ab Aben Ezra hic notari ex eo quod mox (3) iterum notat *Hagaon* erronea scribentem in librum יצירה dictum; atqui eum librum commentario illustravit R. Saadias Gaon, ut notat Wolfius Bibl. Hebr. T. I, pag. 934.

Pag. 184, v. 3.

תהו. Accipe, lector, difficilioris hujus loci interpretationem:

« תהו. Dixit R. Saadias hagaon (excellens) vocabulum תהו derivari a תהום; verùm non rectè hoc dicitur; nam *Mem* vocabuli תהום (non hìc littera *servilis* aut adjectitia sed) *radicalis* est, ut littera *Mem* in vocabulo הדום (*scabellum*). Idem

(1) Christianis Scriptoribus communiter audit: *Saadias Gaon*. An Arabica Pentateuchi interpretatio, quæ primùm vulgata est in Polyglottâ Parisiensi (T. VI) et hinc derivata in Waltonianam, auctorem habet *Saadiam* Judæum, de quo agimus, an verò attribuenda est *Saido* monacho cuidam coptico? de hâc quæstione vide, si placet, Dissertationes Philologico-Criticas C. T. Schnurreri, Gothæ 1790, p. 191, Dissertat. VI, *de Pentateucho Arabico Polyglotto*.

(2) Sub finem השער הראשון.

(3) Vide hujus Op. Vol. I, P. 1, p. 184, v. 5.

Saadias, in commentario quem composuit in librum qui יצירה inscribitur, ait תהו esse *lineam flavam*, et בהו *lapides humentes*, etc. » Nota locutiones duas has : קו ירוק et אבנים מפולמות ex Kabbalâ esse desumptas ; quarum ulteriorem explicationem si quis cupiat, adire poterit librum cui titulus : Kabbala denudata seu doctrina Hebræorum transcendentalis et metaphysica atque Theologica (auctore Knorr de Rosenroth) parte primâ (hæc continet locos communes Kabbalisticos secundum ordinem alphabeticum concinnatos, qui lexici Kabbalistici instar esse possunt), p. 20, sqq. et 673, sqq. Sulsbaci, 1677.

Ibid. v. 10.

יש הבדלה. Sensus est : per præpositionem בין cum ל sequente, *divisionem* seu *separationem* denotari ; idemque fieri per præpositionem בין bis repetitam ; porrò, esse etiam loca in quibus videas ad *separationem* indicandam usurpatum בין—לבין.

Pag. 185, v. 1.

קדמת אשור. Notat hic Aben Ezra litteram ת in vocabulo קדמת esse loco litteræ ה (1) ; hoc

(1) Nescio an non erret Winer (in suo lexico ad radicem קדם) locum nostrum scil. קדמת אשור reddendo *ab oriente* (Assyriæ), non verò *Assyriam versùs*, quam versionem contextus suadet, et auctoritate suâ comprobant versiones antiquæ, LXX et Chaldaica Onkelosii, quæ habet הוא דמהליך למדינתא דאתור.

autem discrimen esse inter קדם et קדמה, quod littera ה a fine addita vocabulo קדם efficit idem ut significetur ac si tu scripsisses ante קדם vocabulum אֶל cum *Patach* minori (h. e. *Segol*). Ejusmodi ה, quæ a fine vocabulo adjecta est, tantumdem notare, ait, ac præpositionem אֶל vocabulo præmissam; v. g. quod legitur Genes. C. XII, v. 10. וירד אברם מצרימה æquivalere huic: וירד אל מצרים; atque ita קדמת אשור tantumdem esse ac אל מזרח אשור. Tandem notat Aben Ezra ab ipso principio Genesis usque ad vocabulum לעשות (h. e. Gen. Cap. II, v. 3) Scripturam sacram non aliâ Dei denominatione uti quam אלהים; deinceps verò τῷ אלהים adjici יהוה, ut scribatur יהיה אלהים. — Patet hinc diversam Deum denominandi rationem in primis capitibus libri Genesis obviam neutiquam præteriisse Aben Ezram, adeòque non ab Astruccio primùm id esse observatum. Aben Ezra tamen non indè concludit (1) ex variis fragmentis librum Genesis fuisse composi-

atque ità eum locum præter Aben Ezram interpretatur etiam Raschi, qui eum locum explicat: למזרחה של אשור. Vocabulum קדמת intellexit Winer positum in *statu constructo*, ut Grammatici loquuntur, a קדמה *oriens*, *plaga Orientalis*, atque ità Grammatica certè suadebat interpretari: *ab oriente Assyriæ*; ab hâc verò sententiâ abit Aben Ezra, qui in eo vocabulo ת pro ה usurpatum esse docet, adeòque ה illud habet pro ה *locali*, addito τῷ קֶדֶם ut v. 9. Genes. Cap. XIII, 14. וָקֵדְמָה וָיָמָּה *orientem et mare* (h. e. occidentem) *versùs*.

(1) Cf. etiam ejus יסוד מורא in principio Portæ XII.

tum; quæ hypothesis recentioribus haud paucis valdè probatur; mihi verò, ut liberè dicam quod sentio, neutiquam probatur, et labili niti videtur fundamento. Sed hæc tractare alterius loci est.

Pag. 186, v. 8.

בְּשַׁגָּם, Notat hìc Aben Ezra, litteram ש in præmisso vocabulo habendam esse pro vocabulo אשר, quo modo ש est pro אשר in vocabulo שֶׁכָּכָה in Cantic. Cant. Cap. V, v. 9. — Ejusmodi ש etiam venire cum *Patach* patet ex iis quæ scripsimus in notis Miscellaneis ad pag. 1, v. 1. — Interpretes veteres: Onkelos (בדיל דאינון בשרא), LXX (*διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς σάρκας*), et Vulgata (*quia caro est*) τὸ ש in composito vocabulo בשגם interpretati sunt אשר; quibus consentiunt Aben Ezra, uti patet; tum Rashi (1), Moses Nachmanides (2), Salomo ben Melech (3) etc. Quare nollem cum recentioribus

(1) i. h. l. scribit: כמו בְּשֶׁגַּם בסגו״ל כלו׳ בשביל שגם זאת בו שהוא בשר.

(2) Vide ביאור על התורה, Ed. Venetian. ap. M. A. Giustiniani, pag. ח, columnâ 4.

(3) In מכלל יופי; Ed. Amstelod., A° a mundo condito 5421, pag. ד, columnâ 3ª; ejus verba in totum hunc versiculum 3 adscribere juvat: בשגם הוא בשר השי״ן פתוחה כמו: שקמתי דבורה; ופרושו: באשר גם הוא בשר; כלומר: למה לא ידון רוחי באדם לעולם? לפי שגם הוא בשר כמו הבהמות, שאף על פי שיש בו רוח עליונה, הנה גם הוא בשר, והבשר מושך הרוח אל תאוותיו. לפיכך אאריך לאדם הזה ק״כ שנה; אם ישובו טוב אקיים אותם בעולם, ואם לא

quibusdam veterum hanc communem interpretationem commutare cum eâ quam excogitavit J. F. Bernd (1), qui statuit τὸ בשגם esse Infinitivum formæ Piel cum affixo a שָׁגָה *erravit*, adeòque eum locum sic interpretandum censet: *dum errare eos facit caro*, i. e. dum eos in varios libidinis errores abduxit corrupta eorum indoles; quia *carni* laxarunt dominium etc. Ingeniosa quidem ea τῦ בשגם interpretatio est nec aliena ab hujus loci intellectu, sed multum abest ut solida sit. Ac primò quidem formam Piel verbi שׁגה Hebræis usitatam fuisse gratis supponitur; nam in S. Codice istius radicis forma *Hiphil* quidem sæpè obvia est, forma *Piel* autem nusquam. Prætereà novimus unius verbi communiter non nisi formam alterutram aut *Piel* aut *Hiphil* usurpatam fuisse, rarius utramque simul, et *Piel* et *Hiphil* (2). Deinde si reverâ S. auctor scribere voluisset infinitivum a שגה cum affixo, omninò usurpasset formam Infinitivi *constructi*, ut ajunt, adeòque scripsisset non בְּשַׁגָּם sed בְּשַׁגּוֹתָם; nec verò videas Infinitivum quem *absolutum* vocant cum *affixo* constructum. Tandem scire cuperem in Berndii in-

אכלה אותם מן העולם. ופרוש ימיו, הימים שאאריך לו.

(1) In dissertat. de vocabulo בשגם (apud Rosenmullerum in Scholiis ad Gen. Cap. VI, v. 3).

(2) Consulatur Gesenii *Ausfürliches Grammatisch-Kritisches Lehrgebäude der hebräischen Sprache mit Vergleichung der verwandten Dialekten. Leipzig*, 1817, *pag.* 243.

terpretatione quid sibi velit vocabulum הוא, cujus syntaxis in locutione בשגם הוא בשר etiam explicanda est. Quod autem dicitur (1) contra vulgarem hujus loci interpretationem, scilicet τὸ גם (*etiam*) in eâ planè otiosum esse, ac hujusmodi (בשגם ex ב, ש pro אשר et גם) particularum compositiones seriori tantum Hebraismo, seu potius stylo Rabbinico esse proprias, id, inquam, non debet iis, qui antiquam ejus loci explicationem tuentur, negotium facessere, sicuti nec hoc, quod novæ interpretationis patroni prætereà monent, debuisse scilicet vocabulum בשגם, si tribus iis, quas diximus, particulis compositum reverâ esset, aliis punctis vocalibus esse instructum, et בְּשֶׁגַּם non verò בְּשַׁגָּם efferri. Nam, ut ordiamur ab eo adversariorum argumento, quod postremo loco posuimus, τὸ ש pro אשר occurrere cum *patach* loco usitatioris *segol*, argumento est עד שַׁקַּמְתִּי quod bis occurrit in libro Judicum Cap. V, v. 7. Fatemur pro vocali *kametz* in בשגָם scribendum fuisse *Patach* בשגַם; verùm, ut non spernenda est auctoritas eorum qui lineas et puncta vocalia consonantibus S. Textûs addidêre, ità nec superstitiosiùs eisdem adhærendum est, præsertim ubi versiones antiquæ punctuationi (2) Masorethicæ, ut in quæs-

(1) Rosenmuller Scholia in Gen. C. VI, v. 3.

(2) Masorethis Tiberiensibus communiter tribuitur S. Codicis Hebræi punctuatio. Ab hâc verò sententiâ, nec contemnendo argu-

tione nostrâ, non suffragantur; ut taceam indubitatam haud esse punctuationem בשגם; nam Codd. Mss. Erfurtenses, quos D. J. H. Michaelis notavit *secundum* et *tertium*, dant *Patach*, sc. בשגם.

Ad id autem quod dicunt τὸ גם *etiam* hìc planè otiosum esse, respondeo τὸ *etiam* non unam esse vocabuli גם significationem. Itaque si displicet iis quibuscum nobis res est interpretatio quam hujus loci dat Aben Melech, quamque suprà p. 221 transcripsimus, particulam גם ἐμφατικῶς reddant *certè, profectò,* quo sensu occurrit גם Jobi Cap. XVIII, v. 5. גם אור רשעים ידעך; atque hanc significationem vocabulo גם vindicat etiam Gesenius in Thesauro suo i. h. v.

Postremò ad id quod monent patroni novæ interpretationis, scilicet hujusmodi particularum compositiones seriori tantum Hebraismo seu potius stylo Rabbinico proprias esse, sive, ut ego uno vocabulo mentem eorum explicem, Aramæismos esse, dico, mirum videri non debere chaldaizantem (1) illam particularum compositionem,

mento discedit Luzatto. Vide opus inscriptum: Prolegomini ad una Grammatica ragionata della lingua Ebraica di Samuel David Luzzatto da Trieste, professore di lingua Ebraica e Caldaica, sacra esegesi, Teologia dogmatica e morale, e storia Israelitica nel collegio rabbinico di Padova, Padova. 1836, p. 12-36.

(1) Si tamen בשגם Aramæismus dicendus sit; nam video eam particularum compositionem quæ est v. g. in vocabulo מבלעדי (Numer. Cap. V, v. 20) eodem jure ad Aramæismos trahi posse.

quum passim Aramæismi in Peutateucho occurrant; v. g. אזלת pro אזלה Deut. Cap. XXXII, 36. נוכחת pro נוכחה Genes. Cap. XX, 16. ועשת pro ועשתה Levitic. Cap. XXV, 21; מן pro מה Exod. Cap. XVI, 15 : exempla alia videsis in *Jacobi Altingii fundamentis punctuationis, Sect. XIII. de anomaliis ex dialecto Aramæâ*. Et verò Moses libros suos exaravit idiomate quo utebantur populares sui; hi autem, utpote oriundi a Jacobo qui ex Aramæâ stirpe prognatus cum filiis suis per longum temporis spatium in Mesopotamiâ moratus fuerat, linguam quidem vernaculam, Cananæam inquam, a patribus suis acceperant, non verò, ut pronum est judicare, ab omni Aramæismi mixturâ puram (1), ut admirari non subeat cur Aramæismi in Pentatcucho hìc illìc occurrant.

Atque ità existimamus responsum esse ad ea quæ contra veterem nostri loci interpretationem fuêre dicta.

(1) Juvat hìc adscribere quæ in rem nostram notat Luzzatto p. 87. « La lingua di Canaan divenne la lingua degli Ebrei, dopo che Abrahamo si fu dalla Mesopotamia nella Cananea trasportato. Questo Patriarca parlava Aramaico, lingua che seguitò a parlarsi da suo fratello, rimasto di là dell' Eufrate, e dai suoi discendenti. La famiglia d'Abramo nell' adottare la lingua dei Cananei non potè non conservare, almeno per qualche tempo, varie parole, forme e maniere, aramee; e ciò tanto più, quanto che Giacobbe ritornò nella Mesopotamia, dove fece lungo soggiorno, dove si ammogliò, e dove quasi tutti i suoi figli sono nati e cresciuti. »

Pag. 188, v. 12.

והסימן. Sensus est : ad revocandum in memoriam quoto anno vitæ Abrahæ mortuus sit Noach, utuntur hoc (ut signo (סימן) memoriali) : Abraham pater noster natus erat annos נ"ח cum mortuus est נח; ubi valor numericus litterarum vocabuli נח refricat memoriam numeri annorum quos natus erat Abraham cùm e vitâ excessit Noach.

Pag. 189, v. 4.

והאומרים וגו'. Sensus : nihili est quod dicunt illi qui sentiunt in verbis אלהים τὸ לפני אלהים non intelligendum esse de Deo (קֹדֶשׁ). — Non notat Aben Ezra quinam sint illi interpretes aut scriptores quos hic arguit, eorumque interpretationem reprobasse sat habens, quænam ea sit, non aperit.

Pag. 191.

אמר ר' יצחק. R. Salomo ben Isaac (ר' שלמה בן יצחק) sive Isaacides (יצחקי), communius dictus est Rashi (רש"י), uno vocabulo contracto ex litteris initialibus vocum istarum : ר' שלמה יצחקי. Buxtorfius in *abbreviaturis Hebr.* p. 105, compendiarium vocabulum רש"י malè legit : ר' שלמה ירחי (R. Salomo Jarchi), undè (ex vocabulo ירחי a ירח *luna*) Constantinus l'Empereur

in alium errorem lapsus est, affirmando scilicet Rashium ab urbe *Lunel* in Provinciâ (*Provence*) oriundum esse (1). Natus autem est Trecis, (*Troyes*) Galliæ urbe, eodem anno quo mortuus est R. Gersom ben Jehuda. Itaque errant etiam qui dicant interpretem nostrum fuisse Maimonidis contemporaneum, quum hic integro ferè sæculo post Rashium natus sit.

Commentatus est Rashius in omnes ferè tractatus Talmudicos qui annexam sibi habent Gemaram; et magnam etiam S. Scripturæ partem interpretatus est; sed ejus commentarii in S. Codicem ut non sunt debitâ laude fraudandi, itâ tamen magnos nævos habent, nec sat video cur Rashium Judæi ex interpretibus suis popularibus, cæteris omnibus præferant, ut certè facere videntur. Rashius, judicibus Wolfio et Bartoloccio, sacram Scripturam fabulis et portentosis commentationibus ex Talmude et scriptis antiquorum Rabbinorum excerptis vel fœdavit vel sinistrè intellectam posteris tradidit. Exempla si quis cupiat, legat v. g. ejus commentarium in Geneseos Cap. I, v. 16; habetur is in Chrestomathiæ nostræ T. I, p. 1, pag. 194), vel adeat Bartoloccium infrà citandum.

Stylus quo utitur Rashius sæpè obscurus est ob concisam scribendi rationem; hinc in ejus commentarium scripta variorum, *supercommenta-*

(1) Cf. Israelitische Annalen (A. 1839), p. 328 et 335.

tiones vocant. In explicando vocabulorum significationes Rashius sæpè utitur sermone patrio, hoc est, Gallico sæculi undecimi; undè usui esse potest veteri Gallorum loquendi rationi, quoad ejus fieri possit, restituendæ, ut rectè monuit Mulder infrà citandus, qui in opere mox laudando collegit vocabula veteris Gallorum dialecti ex Rashiano commentario in Pentateuchum collecta. Mortem obiit Rashius anno 1104 vel 1105. Vide Bartolocci Biblioth. magn. Rabbinic., P. IV, pag. 378, sqq — Wolfii Bibliot. Hebr. Vol. I, p. 1057, sqq. et Vol III, pag. 1042, sqq., et libellum Hollandico sermone exaratum cui titulus: ***Over de verdiensten van R. Salomo Ben Izak by verkorting genaamd Ras'si, als verklaarder der heilige Schrift en Talmudische werken, en verbreider van Hebreeuwsche Taal en Letterkunde, door S. J. Mulder beëedigd Translateur. Amsterdam*** 1826. Is auctor labem Rashio aspersam eluere conatur (cit. op. pag. 9, sqq.); et cum Muldero in eamdem ferè sententiam ad exculpandum Rashium hæc habet Luzzatto, vir doctissimus (in opere suprà laud. p. 27): « A torto si farebbe carico a Rascì delle interpretazioni men che litterali sparse qua e là nei suoi commentarii. Alcuna di quelle esposizioni non è d'invenzion sua, ma sono tutte tratte dal Talmud o daì Midrashim; e il raccoglier quelle cose era necessità dei tempi e dei luoghi in cui egli scriveva. »

Pag. 192, v. 4.

אם באת. Dixerat Rashius vocabulum בראשית mysticum tantummodo habere intellectum, eoque modo idem vocabulum interpretatos esse veteres, qui docuêre, ait, *τὸ* ברשית explicandum esse: (creavit Deus cœlum et terram) propter Legem, quæ vocatur *principium* (ראשית) *viæ ejus* (1), et propter Israelem, qui vocatur *principium* (ראשית) *proventûs ejus* (!!) (2). Pergit porrò Rashius dicendo: quod si tamen velis (ואם באת) illud בראשית explicare secundum *simplicem* h.e. litteralem ejus sensum, sic interpretêris: « in principio creationis cœli et terræ terra erat inanis et vacua (תהו ובהו) et tenebris (obvoluta); tum locutus cst Deus: fiat lux. Subjungit Rashius: S. Scripturam non voluisse exprimere cœlum et terram creata fuisse *primo loco;* nam si hoc voluisset, ait, legeremus non בראשית sed בראשונה; *τὸ* בראשית, addit, numquam in S. Scripturâ occurrit *absolutè*, sed semper constructum cum alio vocabulo, ità ut בראשית numquam notet simpliciter *in principio*, sed semper in *principio hujus vel illius rei*. Et sic in nostro loco, ait Rashi, explica *τὸ* בראשית ברא ac si

(1) Proverb. Cap. VIII, v. 22.

(2) Jerem. Cap. II, v. 3. En Rashii verba: בראשית ברא אין המקרא הזה אומר אלא דורשני כמו שדרשו רז''ל: בשביל התורה שנקראת ראשית דרכו ובשביל ישראל שנקרא ראשית תבואתו.

scriptum fuisset : בראשית ברוא. At ברא, inquies, cum temporis *præteriti* sit, quomodo construatur cum בראשית? ejus constructionis exemplum dat Rashi τὸ תחלת דבר־יהוה quod legitur in Osee Cap. I, v. 2.

Pag. 193, 13.

עץ פרי. Portentum interpretationis hìc nota, Lector! Quæris quid sit עץ פרי; respondet Raschi: præcepisse Deum dicendo : תדשא הארץ עץ פרי (Genes. Cap. I, v. 11), ut terra produceret arbores fructiferas, quarum lignum haberet gustum et saporem eumdem ac fructus earum; sed, proh dolor! mandato divino non esse obsecutam terram, sed protulisse arbores quæ fructus tantùm ferrent, non tales quarum etiam lignum esset fructus; atque hinc factum esse ut, cum Adæ ob ejus peccatum Deus maledixisset, maledixerit etiam terræ ob hujus (terræ) peccatum (על עונה).

Pag. 194, v. 1.

שוים. Cur solem luna magnitudine non æquet, ridicula hìc datur interpretatio; quam tamen Rashi non excogitavit sed in suum commentarium derivavit ex opere Talmudico, ubi (1) eadem interpretatio legitur sed multo verbosior, atque ità

(1) Tract. חולין Cap. III, p. ס, columna 2, in editione Francofurtiensi.

ut jam non risum tantùm moveat verùm etiam indignationem et horrorem ob verborum impietatem. Audite : ר' שמעון בן פזי רמי: כתיב: ויעש
אלהים את שני חמאורות הגדולים; וכתיב: את
המאור הגדול ואת המאור הקטן. אמר' ירח (1) לפני
הק"בה: רבונו של עולם! אפשר לשני מלכים
שישתמשו בכתר אחד? אמר לה: לכי ומעטי את
עצמך. אמר' לפניו: רבונו של עולם! הואיל ואמרתי
לפניך דבר הגון אמעט את עצמי? אמ' לה: לכי
ומשול ביום ובלילה. אמרה ליה: מאי רבות'
דשרגא בטיהרא, מאי אהני? אמר לה: לכי ולימנו
בך ישראל ימים ושנים. אמר' ליה יומא: נמי אי
אפשר דלא מנו ביה תקופותא, דכתיב: והיו
לאותות ולמועדים ולימים ושנים. ליקרו צדיקי
בשמך: יעקוב הקטן שמואל הקטן דוד הקטן. חזי
דלא קא מיתבא דעתה, אמר הקב"ה: הביאו כפרה
עלי שמיעטתי את הירח. והיינו דאמר ר' שמעון
בן לקיש: מה נשתנה שעיר של ראש חדש, שנאמר
בו: לה'? אמר הקדוש ב"ה: שעיר זה יהא כפרה
על שמיעטתי את הירח.

(1) ירח in S. Codice perpetuò masculini generis est; fortè Talmudici vocabulo ירח utrumque genus promiscuè dederint, aut incuriæ tribuenda res est.

h. e. Rabbi Simeon ben Pazi proposuit hanc objectionem (רָמֵי): scriptum est: *fecit autem Deus duo luminaria magna;* et porrò scriptum est : *luminare majus et luminare minus.* Dixit luna coram Deo sancto, laudetur : Domine mundi! fieri-ni possit ut sint duo reges qui administrent regnum (Hebr. coronam) unum (idemque)? Respondit ei Dominus : Vade et minuito te ipsam (minuitor). Reposuit (luna) coram Domino mundi: An quia dixi coram te verbum rectum debeam memet minuere? respondet Dominus : Vade et præesto diei et nocti. Cui luna : quænam, inquit, excellentia est lucernæ in meridie, quid prodest? Dixit illi : computent per te Israelitæ dies et annos. Reposuit ipsi Sol (1) : fieri non potest ut non computent per eam revolutiones (cælestes), cum dictum sit : et sint in signa et in tempora et in dies et in annos. Vade, ait Deus, vocentur justi nomine tuo : Jacob parvus, Samuel parvus, David parvus. Videns verò non acquiescere lunam dixit Deus sanctus, laudetur, offerte sacrificium expiationis pro me propterea quod minui lunam. Et hoc est quod dixit R. Simeon ben Lakish : quid caper novilunii, de quo dicitur : Domino? Dixit Deus sanctus, laudetur : caper iste sit sacrificium expiationis propterea quod minui lunam.

(1) יומא reddidi *Sol* secundum interpretationem Raschi quæ ad marginem textûs Gemarici legitur, ubi יומא explicatur: חמה.

Hucusque narratio Talmudica.

Sed hìc æquitas postulat ut dicamus esse Judæis librum, cui titulus : כפתר ופרח (*pomum et flos.* ex Exod. Cap. XXV, 33); in quo libro (referente Bartoloccio in Part. 3 suæ Biblioth. magnæ Rabbinicæ pag. 852) « dicta hyperbolica, quæ in utroque Talmude reperiuntur, vel in libro זהר (Zohar) sunt relata, vel in מעשים (narrationes sunt alicujus facti, exempli causâ allegatæ) contenta, vel denique veluti משלים (Proverbia) à Rabbinis pronunciata, in moralem ac bonum sensum reduci curantur. » Ejus operis auctor est (ר׳ יעקוב בן ר׳ יצחק לבית הלוצאטי מצפת) R. Jacob ben R. Isaac Luzatto de Saphet, urbe superioris Galileæ; excusus liber est Basileæ A. 1581, in-4°, et Amstelodami apud Ascher Enschel A. 1790.

In hujus ergo libri editione Amstelodamensi, quâ utor, sermo est p. פט, de *agada* quam suprà posuimus, in quâ cùm plura difficilia (קשות) esse dicit Luzatto, tum fatetur hoc omnium maximè difficile esse quod Deus ibi introducitur dicens : offerte sacrificium propitiationis *pro me*. En verba auctoris: ויותר קשה מכלם שאמר לבסו׳ המאמ׳ הביאו עלי כפרה כו׳ איך הזכירו כפרה על השכינה ח״ו ש. או מי ימחה בידו יתברך להגדיל ולהאמין ענין אור הירח ולעשות לה אור גדול כחמה. *h. e.* « præ (reliquis) omnibus autem difficile est (explicatu) id quod dicit (R. Simeon) in fine sermonis :

offerte *pro me* sacrificium piaculare etc. Quomodo sermo esse potest de sacrificio piaculari ubi agitur de divinâ majestate? absit! absit! aut quis posset cohibere manum ejus (Dei), laudetur, quominus augeret lumen lunæ et efficeret ut hujus lumen æquaret lumen solis? »

Age verò, videamus quânam ratione Luzzatto explicet verba hæc : *offerte sacrificium piaculare pro me*, quæ si sumantur, ut jacent, impia esse non abnuit. En ejus verba : ואמר הביאו עלי כפרה כו׳ כלומר בסיבת שמיעטתי את הירח הביאו כפרה שעיר אחד שאכפר לכם בכל התחדש הלבנה. ועלי פי׳ הרב אלפס פ״ק דשבועות שהיא כמו אלי; וא״לף וע״ין מתחלף... וכתב המורה ז״ל ח״ג פ״מו כי נאמר חטאת ליי׳ בקרבן ר״ח כדי שלא ידמו המביאים שהם מביאים ללבנה כמו שהיו עושין המצרים בהקריבם ללבנה כל ר״ח קרבן לכן נאמר בו חטא ליי׳ לא ללבנה. ואין לחוש לזה החשש בשעירי הרגלים ולא בזולת׳ אחר שהימי׳ אינם ימים מסויימים ללבנה. ונראה שלזה אמר כאן ז״ל דלא מיתבה דעתה רצה הקדוש ברוך הוא לפייסה ולעשות לה כבוד שיקריבו ישראל כל יום ר״ח קרבן והוא לה לכבוד ולתפארת אע״פ שכוונת הקרבן להשם יתברך. והנה אף על פי שיש בזה

קצת חשש עבודה זרה חו״ש ע״כ אמר הביאו עלי כפרה ר״ל סמכו עלי שאני מצווה ולא תחושו לדברי הטועי׳. וע״כפ הפירוש הוא כאמרו עלי קללתך בני.

h. e. « Dicit porrò : *Offerte* (עלי) *pro me sacrificium piaculare* etc., quasi diceret : propterea quod minoravi lunam offerte in sacrificium piaculare caprum unum, ut condonem vobis (peccata) in singulis noviluniis. Istud autem עָלַי (1) R. Alphes in Cap. I, tract. שבועות pro eodem habet ac אֵלַי, notatque permutatas esse litteras א et ע. Auctor autem More Nebochim (Maimonides), memoria ejus sit in benedictione, hæc scribit in ejus operis parte 3, Cap. 46 : « dicitur *sacrificium pro peccato* (2) *domino* de sacrificio Neomeniæ ; hoc verò ideò factum est ne putarent offerentes (illud sacrificium) se sacrificare lunæ, quemadmodum faciebant Ægyptii qui singulis Neomeniis lunæ sacrificabant ; ideò de hoc (sacrificio) Neomeniæ dictum est : *sacrificium pro peccato* (3) *Domino*, non lunæ. Nec verò idem timendum erat de hircis festorum et reliquis, quandoquidem dies illi nequaquam dies erant lunæ consecrati. » Videtur autem idcircò dicere ibi (4), cum non acquiesceret luna, voluisse Deum eam placare hunc illi honorem

(1) Quod reddidimus *pro me*, nec aliter reddi debet.

(2) Supple *offerendum*.

(3) Sc. offerendum.

(4) Nempe R. Simeon in Talmude loc. laud.

conferendo, ut nimirùm Israelitæ offerrent sacrificium singulis Neomeniis. Idque cedit in honorem et gloriam ipsius (לה sc. lunæ); attamen intentio est sacrificare Deo. Quamvis autem hoc sit aliquid quod cor sollicitum reddat an non sit idololatricum, absit, absit tamen ut sit. Nam quod dicit : offerte sacrificium piaculare pro me (עלי), tantumdem est ac si dixisset : innitamini in me; ego enim præcepi, nec curate ea quæ dicunt errantes. Itaque omninò interpretanda sunt hæc verba sicut illa : *in me* (עלי) *sit maledictio tua fili mi.* » Gen. C. 27, 13.

Ego verò non putem ope hujus explicationis sublatam esse eam sententiæ impietatem quam suprà culpabamus. Quidenim? tota excusatio ad duplicem hanc redit animadversionem : 1° scilicet, in verbis הביאו כפרה עלי τὸ עלי non esse explicandum *pro me* sed *ad me*, sive *mihi*; τὸ עלי enim scriptum esse pro אלי. 2° τὸ עלי explicandum esse *in me*, ut in hoc : עלי קללתך. At quis non videt quam sint hæc ridicula! Profectò non negamus pro על passim אל occurrere in S. Codice, sed in loco Talmudico, quem præ manibus habemus, aliud עלי significare non potest nisi *pro me*. Nam post verba הביאו כפרה עלי statim sequuntur hæc : לפי שמעטתי הירח h. e. *quia minoravi lunam*; ergo *quia* minoravi, offerte *pro me*. Et quid aliud notent quæ proximè sequuntur, ubi Deus inducitur dicens : שעיר זה יהא כפרה על

שמעטתי את הירח. h. e. *Hircus iste sit sacrificium expiationis proptereàquod minoravi lunam;* quem alium, quæso, obvius verborum sensus hìc *expiandum* doceat nisi Deum? Alter autem excusationis modus ne refutatione quidem dignus est.

Pag. 195, v. 5.

וייצר. ex repetito Jod in vocabulo וייצר *formationem duplicem* in homine distinguendam esse docet hìc Rashius, ex Bereshith Rabba (Parashâ יד, p. יז, in edit. Francofurtiensi A' גאולה תהיה), undè hæc sumsit. Ibi tamen et aliæ dantur hujus *Jod* reduplicati (in quo certè mysterium nullum latet) significationes; v. g. reduplicatum illud *Jod* denotare duplex quod homini inest *figmentum*, bonum (יצר טוב) sc. et malum (יצר הרע). Circa locutionem יצר הרע animadvertendum est, docente Cl. Drach, eâ non ubique notari *concupiscentiam malam*, sed, et frequentius quidem, phrasi יצר הרע significari *Satanam*, spiritum sc. rebellem, qui et *angelus mortis* (מלאך המות) et *serpens antiquus* (נחש הקדמוני) dicitur (1). Cf. Apoc. C. XX, 2.

Pag. 196, v. 1.

מדרש אגדה. Suprà dixerat panem et vinum prolatum fuisse a Melchisedech ut lassos Abrahæ

(1) Vide Cl. Drachii dissertationem eruditam, cui titulus : *Du péché originel selon la Synagogue.*

milites reficeret (1). (כן עושים ליגיעי מלחמה); atque adeò rationem *sacrificii* in eo quod fecit Melchisedech Rashi quidem non agnoscit. Refert tamen extare interpretationem secundum quam Melchisedech, suâ panis et vini oblatione, Abrahæ indicasset *sacrificia* et *libationes*, quæ aliquando oblaturi essent ejus filii. In quo, ni fallor, licebit germanæ traditionis agnoscere vestigia; præsertim si his addamus alia effata, quibus *incruentum* novæ Legis *sacrificium*, obscurius licet, indicari tamen, non diffitebitur quicumque animum gerit a præjudicatâ opinione vacuum. Talia sunt verba Psalmi 73 (qui fatentibus scriptoribus Hebræis de Messiâ agit totus): יהי פסת בר בארץ בראש הרים, quæ in Paraphrasi Jonathanis reddita sunt: יהי קרבן העבורא בארעא בריש טוריא h. e. *erit sacrificium frumenti in terrâ in capite montium.* — Talia sunt quæ leguntur in *Midrash Koheleth* (apud J. de Voisin), ubi Moyses cum Messiâ confertur, diciturque: גואל ראשון הוריד את המן שנ׳ הנני ממטיר לחם מן השמים ; כך גואל אחרון יוריד את המן שנ׳ יהי פסת בר בארץ. *h. e* Redemptor primus (Moyses) descendere fecit Manna, ut dicitur (Exod. XVI, v. 4): *ecce ego pluam vobis*

(1) Non explicat tamen quid sibi velit illud והוא כהן לאל עליון quod S. Scriptura notat ut explicet cur Melchisedech Christi typus (Ep. ad Hebræos, passim), quem hucusque non nisi tamquam regem nobis notum fecerat, obtulerit panem et vinum.

Manna de cœlo; sic secundus Redemptor (Messias), descendere faciet Manna de cœlo, ut dictum est Ps. 73. Talia sunt quæ leguntur in Bereshith Rabba (Parasha מג, pag. מז, columnâ 3ª in edit. Francofurtiensi anni גאולה תהיה secundum supputationem minorem) : מלכי צדק. אדוני צדק. צדק נקראת ירושלים שנ׳ צדק ילין בה. מלך שלם. רבי יצחק הבבלי או׳ שנולד מהול. הוציא לחם ויין והוא כהן לאל עליון. רבי שמואל בר נחמן ורבנן: רבי שמואל אמר: הלכות כהונה גדולה גלה לו. לחם. זה לחם הפנים. ויין. אלו הנסכים. ורבנן אמרי: תורה גלה לו, שנאמר: לכו לחמו בלחמי ושתו ביין מסכתי.

h. e. *Melchitzedek*. h. e. Dominus τῦ Tzedek. Tzedek (h. e. justitia) vocatur Jerusalem, ut dicitur (Isaiæ Cap. I, v. 21) : Justitia habitabit in eâ. *Rex Salem*. Rabbi Isaac Babylonius dixit Melchitzedekum natum esse circumcisum. *Obtulit panem et vinum, nam erat sacerdos Dei altissimi*. Rabbi Samuel Nachmanides et Rabbanan (circa hoc sic dicunt) : R. Samuel dicit : ritum sacerdotii magni revelavit ei. *Panem*, i. e. panes propositionis. *Et vinum*, h. e. libationes. Rabbini autem dicunt : retexit ei legem, qua parte dicitur (Proverb. Cap. IX, v. 3) : « delectemini pane meo et inebriemini vino quod miscui. » Talia sunt quæ

Kimchi notat ad verba Osee (Cap. XIV, v. 8) : יחיו דגן (*h. e.* vivent tritico), ubi ait : ויש מפרשים יחיו דגן שניהיה שוי טבע בדגן לעתיד בבא הגואל *h. e.* « sunt etiam qui dicant *vivent tritico*, notare futuram esse mutationem naturæ (sive transsubstantiationem) in tritico ubi venerit redemptor, h. e Messias » (apud Josephum de Voisin in observationibus ejus in proœmium *pugionis fidei*, p. 174, in edit. Carpzovii Lipsiæ et Francofurti, A. 1687). Cf. etiam Cap. 43, T. 2. *Theologiæ Judæorum* ejusdem de Voisinii.

Ibid. v. 9.

לשון וגו'. Notat Raschi phrasin הרימתי ידי esse formulam juramenti; et הרימתי tantumdem valere ac *participium* מרים, seu per illam verbi formam *præteriti temporis*, exprimi *præsens*, quod deindè, aliis adductis exemplis, comprobat.

Pag. 197, v. 5.

ודרך. Notat hìc Rashi eum antiquitùs morem obtinuisse ut, qui fœdus inirent mactarent victimam, interque partes ejus dissectas transirent. Ex quâ notitia archæologicâ explicat præsentem locum, et Jerem. XXXIV, 19 verba : *qui transierunt inter divisiones vituli* (Vulg.).

Pag. 198.

רד״ק. De Kimchio confer quæ diximus suprà pag. 177 et seqq.

Ibid. v. 4.

כי אינם וגו׳. Sensus est : non fuisse psalmos dispositos secundum ordinem rerum gestarum. Nam, ait, psalmus tertius agit de rebellione Absalomi, et sequuntur porrò psalmi benè multi, in quibus sermo est de rebus, quæ acciderunt multò ante eam rebellionem.

Ibid. v. 4.

וזה וגו׳. Kimchi psalmum hunc de Davide interpretatur contra veteris traditionis fidem, quæ eumdem de Messiâ dictum esse agnovit; idque Kimchium non latuit, uti patet ex extremis verbis ejus commentarii in hunc Psalmum; nam ibi fatetur majores suos eumdem de Messiâ intellexisse, quod planè confirmatur ex Act. Ap. Cap. IV, v. 25 sqq. XIII, v. 32 sq. Ep. ad Hebr. Cap. I, v. 5. V, v. 5. Apoc. Cap. II, v. 27, sq. XIX, v. 14 sqq. — Quid autem Kimchium aliosque (1) qui, in plerisque,

(1) Aben Ezra non nisi hæsitanter videtur ab antiquâ traditione recessisse. Sic enim scribit in principio sui in hunc psalmum commentarii : הנכון בעיני כי זה המזמור חברו אחד מהמשוררים על דוד ביום

majorum suorum vestigiis ad superstitionem usque mordicùs adhærent, hìc permoverit ut in contrariam planè sententiam ab iis discederent, « facilè discimus, ait Pocockius (1), ex iis quæ ad eumdem psalmum commentatus est R. Salomo Jarchi; hæc nempè is scribit : רבותינו דרשו את הענין על מלך המשיח ולפי משמעו ולתשובת המינים (2) נכון לפותרו על דוד עצמו. h. e. *Doctores nostri psalmum hunc exposuerunt de rege Messiâ, at prout sonat* (secundum sensum litteralem), *et ut respondeatur* Minæis seu Hæreticis (i. e. Christianis) *expedit eum interpretari de ipso Davide.* Hoc, hoc, inquam, unum est, quod Judæos a majoribus suis, etiam verum dicentibus (quibuscum aliàs errare malunt quam cum aliis veritatem amplecti), in diversum scientes ac volentes trahit, scil. si in eorum interpretationibus aliquid, quo Christianæ fidei dogmata stabiliantur, occurrat. *Messiam* ab antiquis talem fuisse expectatum qui filius esset Dei viventis, discimus ex iis quibus summus Pontifex Dominum Jesum olim (Matth. Cap. XXVI, 63)

המשחו; על כן כתוב אני היום ילדתיך; או על המשיח. *h. e.* « Mihi videtur psalmus ille compositus ab uno ex cantoribus (sacris) in Davidem, quo die is unctus est rex; atque hinc scriptum esse : *ego hodiè genui te*; vel (!) in Messiam.

(1) In Notis miscellaneis ad *Portam Mosis* pag. 307. Oxonii 1655.

(2) Verba לתשובת המינים non reperiuntur in editione *Bibliorum maximorum* Buxtorfianâ nec in Venetâ recentiore; leguntur autem in editione principe h. e. Bombergianâ excusâ Venetiis A. 1525.

allocutus est : *Adjuro te per Deum viventem ut dicas nobis an tu sis* Christus *ille* filius Dei; et illâ Nathanaelis προσφωνήσει (Joh. I, 50) : *Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israel :* Undè illis talem expectandi fiducia? Ex hoc psalmo de *Messiâ* ab ipsis intellecto.... At cur non hodie etiam eodem modo exponatur? periculum est a מינים *Minæis*, seu hæreticis; hâc enim ratione suppeditarentur ipsis argumenta, quibus *Christum* filium Dei, ideòque et Deum patri suo ὁμοούσιον probent.... Quod si ex uno loco patet olim nonnulla a Judæorum Majoribus aliter intellecta fuisse quam nunc ab eorum posteris explicentur, idque non cogente veritate, sed ne Christianis nimium largiantur, quidni et in aliis locis idem factum esse meritò suspicemur, ut ubicumque quædam occurrerent, quæ divinitatis Christi assertioni faverent, in alium ab ipsis sensum pertracta fuerint? » *Húcusque Pocockius.* Nec verò inanem esse, quam movit, suspicionem, probare juvat exemplo quod viri doctissimi diligentiam fugisse videtur. Ergo in principio Psalmi XXI, quem propheticum esse de doloribus Messiæ affirmant omnes, quos recentioris cujusdam exegeseos lues non infecit, hæc habet Raschi : רבותינו פתרוהו על מלך המשיח ונכון הדבר לפתרו עוד על דוד לתשובת המינים. h. e. Majores nostri explicarunt eum (Ps. XXI) de rege Messiâ, verùm expedit eumdem deinceps interpretari de Davide, ut habeamus quod respondeamus *Minæis* (h. e. Christianis, qui hunc Psalmum nobis objiciunt). »

Sed ut ad Psalmum II redeamus, liceat hìc consignare loca quædam a Cellario collecta ex veterum Rabbinorum scriptis, quo testatior res sit antiquam Synagogam agnovisse in hoc Psalmo de Messîâ esse sermonem.

Itaque in commentario qui *Bereshith Rabba* (1) dicitur, quique compositus est sub finem sæc. III hæc leguntur : א"ר יונתן ג׳ הן שנ׳ בהן שאל ואלו שלמה ואחז ומלך המשיח. שלמה, דכתיב: בגבעון נראה ה׳ אל שלמה בחלום הלילה ויאמר אלהים: שאל מה אתן לך. אחז, דכתיב ביה: שאל אות מאת ה׳. מלך המשיח, דכתיב: שאל ממני ואתנה גוים נחלתך. *h. e.* « R. Jonathan dixit : tres sunt, quibus dictum est שאל *postula,* et hi sunt Salomo, Achaz et Rex Messias. Salomo, quia 1 Reg. 3, 5, scriptum est : « In Gabaon visus est Dominus Salomoni in somnio noctis, et dixit Deus : postula quod dem tibi. » — Achaz, quia Isaiæ 7, 11 scriptum est : « Pete tibi signum a Domino. » Rex Messias, quia est Ps. 2, 8 scriptum : « Postula a me et dabo gentes hæreditatem tuam. » —

In Talmudis Codice *Succa*, Cap. 5, leguntur hæc : ת"ר משיח בן דוד שעתיד להגלות במהרה בימינו אומר לו הב"ה שאל ממני דבר ואתן לך שנאמר

(1) Ed. Wilmersdorf. Pag. 40. Col. 3.

אספרה אל חק יי אמר אלי בני אתה היום ילידתיך שאל ממני ואתנה גוים נחלתך. *h. e.* Tradunt magistri nostri : Messiæ filio Davidis, qui reveletur brevi, in diebus nostris, dixit Deus, laudetur : pete a me aliquid et dabo tibi, sicut dictum est (Ps. 2, 7, 8) : « Enarrabo decretum : dominus dixit mihi ; filius meus es tu, ego hodiè genui te ; postula a me et dabo gentes hæreditatem tuam. »

Undè etiam, qui ex sequioribus Rabbinis candidè egerunt, idem sentiunt, quod majores. R. Saadias Gaon postquam in verba Dan. 7, 13 : *cum nubibus cœli instar filii hominis veniens*, notaverat : זהו משיח צדקנו h. e. « hic est Messias justitia nostra, » in sequentia : *et ei data est potestas*, hæc scribit : שיתן לו שולטנות ומלכות ככתוב ואני נסכתי מלכי. *h. e.* « quia daturus est ei (antiquus dierum) potestatem et regnum, sicut scriptum est (Psalm. 2, 6) : ego autem inunxi regem meum. » —

Pag. 199, v. 13.

וקראם מלכים ורוזנים. Majorum suorum hujus psalmi posthabitâ explicatione, Philistæorum in exercitum Israelitarum hostilem impetum ejusdem componendi ansam dedisse fingit Kimchius, et ad hos aggressores, ait, directa esse verba : יתיצבו מלכי ארץ ורוזנים נוסדו יחד. Cui tamen interpre-

tationi cum obstaret Philistæorum proceres non alio nomine quam סרנים vocari, hoc satis frigidè ità explicat ut dicat, ideò a Davide Philistæorum proceres nominari מלכים ורוזנים (reges et principes) quia eò superbiæ venerant ut se *reges* esse putarent. Cum verò satis intelligeret Kimchi quam infirma esset hæc explicatio, conjecturam addit hanc: fieri potuit, ait, ut unà cum Philistæis contra Davidem conjuraverint quidam ex vincinarum gentium *regibus*. Sed hæc conjectura, utut vanissima, si admittatur, nova oritur objectio: cur sc. Philistæorum סרנים (proceres), quibuscum vicini reges arma consociaverant, Psaltes ità prætereat, ut ne *nomen* quidem eorum *proprium* commemoret, nec dicat: יתיצבו סרנים מלכי ארץ ורוזנים וגו'. Ceteras contortas explicationes, quas in hujus Psalmi interpretatione lectoribus suis obtrudit Kimchius, notare prætermitto, earumdem specimen dedisse sat habens.

Pag. 206, v. 10.

הפרשה. Isaac Abarbanel vel Abrabanel (יצחק אברבנאל) Hispanus, ex regiâ Davidis stirpe, ut ipse jactanter gloriatur (1), oriundus, natus est

(1) Vide ejus præfationem in Prophetas priores ubi se dicit: מבני אברבנאל משורש ישי בית הלחמי ממשפחת בית דוד. *h.e.* e filiis Abrabanelis, ex radice Jesse Bethlehemitæ, de familiâ domûs David.

in urbe Ulissipone *A. C.* 1437. Vir fuit, ait Bartolocci, *perspicui* sed *pessimi* ingenii; nec enimverò præclara sunt quæ idem de Abarbanele memoriæ prodidit, quæ tamen hìc enarrare nihil opus est. Diligentem vocat Bartolocci scripturarum sacrarum interpretem, sed infensissimum Christianæ veritatis inimicum, utpote qui « blasphemias in Christum Deum et in ejus Ecclesiam per omnes ferè suos in S. Scripturam commentarios sparsim disseminavit, præcipuè verò in iis quos exaravit in Prophetas posteriores, quos ità fœdavit ut vix pagina sit, quæ ab hâc pestiferâ lue immunis inveniatur. » In eamdem ferè sententiam de Abarbanele loquitur *Constantinus L'Empereur*, pag. 174 sui commentarii in Codicem Talmudicum *Middoth* a se latinâ versione donatum; « Ex Abarbanele, ait is, plura quam ex omnibus Hebræorum doctoribus addisci possunt; quippè si quid in sacris litteris obscurius sit, feliciter (nisi quum contrà veritatem Christianam cum suis obnititur) enarrante. » Scripsit Abarbanel in S. Scripturæ libros ferè omnes, aliaque opera, nec ea pauca, composuit maximè Theologici argumenti. Omnium ejus operum catalogum exhibet Bartoloccius, qui magnis laudibus extollit ejus in פרקי אבות commentarios, quos hic fertur elaborrasse in gratiam filii sui natu minimi. Is, Samuel dictus, deinceps, Judaicâ superstitione relictâ, ex Israelitâ *secundum carnem* tantùm, factus est etiam *secundum spiritum*

Israelita *verus*, et quem Messiam scelestâ linguâ pater lacessebat, ad hunc, sacris Christianis Ferrariæ initiatus, felicior filius se adjunxit. Obiit Isaac Abarbanel, pater, Venetiis anno Domini 1508.

Cf. Bartolocci, Biblioth. Rabbin. Part. III, p. 874 et sqq.

Pag. 206, v. 10.

הפרשה. Abarbanel in interpretandâ S. Scripturâ scholasticorum ferè modo procedit, ut quivis facilè animadvertet ex loco, ex commentariis ejus in Prophetas priores selecto, quem hìc damus. Cujus loci olim Latinam confecimus interpretationem, hìc illìc paulò liberiorem, nec semper verbum pro verbo reddendo, quam, partem non minimam, hìc subjicimus.

« Sectio XVIII enarrat bella quæ gessit David rex (sit pax super eum) contra Philistæos, Moab, Aram, Damascum et Zobam; enarrat porrò ut Thohi, Rex Hamath, eidem munera miserit propter eàquod bello fregerat Hadadeser; item, ut David sibi subjecerit Moab, Edom, Aram et Damascum atque ibi (in omnibus illis regionibus) sua præsidia militaria habuerit. In eâdem sectione exponitur etiam quam benignum sese exhibuerit David erga Jonathanis filium Miphiboseth. Item narratur ut David ad Hannonem regem Ammonitarum miserit legatos, qui hunc consolarentur de morte patris; existimasse autem Hannonem exploratores

esse quos legatos David miserat, ideòque Ammonitarum regem jussisse ut dimidia pars barbæ ipsis abraderetur, et ad nates usque vestimenta eorum abscinderentur. Tandem dicitur quomodo eâ de re David ab Hannone vindictam exegerit.

Et sectionis quidem initium ducitur a verbis : ויהי אחרי כן ויך דוד וגו׳; porrigitur autem usque ad verba : ויהי לתשובת השנה וגומ׳. De quâ sectione quæstiones propono sex. »

« *Quæstio prima* ex eo petitur quod S. Scriptura dicit (2 Sam. C. VIII, v. 13) : *Et fecit David* (sibi) *nomen cum reverteretur a cædendo Aram, in valle salis; octodecim millibus hominum* (cæcis). Est autem hæc : propheta hìc (in laudato sc. loco) attribuit stragem illam *Davidi*, quasi hic eam edidisset; additque cecidisse *octodecim millia hominum*, fuisseque stragem hanc *Aramæorum*; contrà verò in Chronicorum libris in loco parallelo (1 Paralip. C. XVIII, v. 1) dicitur : Abisai *verò filius Sarviæ percussit* Edom *in valle salis, decem et octo milibus hominum cæsis*; porrò in Psalmorum libro (Ps. 60, Vulg. 59, v. 2) ait Scriptura : *et reversus est* Joab *et percussit* Idumæos *in valle salis*, DUODECIM MILLIBUS HOMINUM *cæsis*. Itaque in Chronicorum libris Scriptura *Abisai* stragem attribuit, et *Idumæorum* eam fuisse dicit. Sed hoc pugnat cum eo quod dicitur hìc (1 Sam. C. VIII, v. 13), scil. stragem hanc fuisse *Aramæorum* et *Davidem* eam edidisse. Porrò in libro

Psalmorum eam stragem Scriptura non attribuit *Davidi*, uti hìc fecit, neque *Abisai*, ut narratur in laudato loco Chronicorum, verum *Joabo;* tum (in Psalmo cit.) strages etiam dicitur fuisse *Idumæorum*, non verò *Aramæorum*, et cæsorum fuisse *duodecim millia*, non autem *octo millia*, uti hìc Scriptura commemorat. »

« *Secunda quæstio* ex eo petitur quod S. Scriptura dicit (2 Samuelis Cap. VIII, v. 14) : *et posuit in Edom præsides, in universo Edom posuit præsides, fuitque universa Idumæa Davidi subjecta.* Adeòque tria hìc dicuntur, quorum unumquodque in altero jam continetur (ut videatur hìc S. Scriptura πλεονάζειν). Nam in hoc : *in universâ Idumæâ posuit præsidia militaria*, jam contentum est quod primum incisum habet : *et posuit in Edom præsidia militaria;* et in eodem comprehensum pariter est, quod habet postremum incisum; nam si præsidia militaria a Davide posita erant in Edom, hoc ipso jam perspicuum erat Idumæos Davidi fuisse subjectos. »

« *Quæstio tertia* ex eo petitur quod S. Scriptura dicit (2 Sam. C. VIII, v. 15) : *et regnabat David in omnem Israel* etc. Nihil enim hæc scriptura notat nisi supervacanei et frustranei quid. Nam jam anteà significaverat regnum Davidis in omnem Israelem esse prolatum; ità etiam suprà, postquam mentio facta est de Hiramo qui miserat (artifices) ad ædificandam domum regis, Scriptura dixit (2 Sam.

C. V, v. 12) : et intellexit David se a Domino confirmatum regem in Israel, auctumque regnum suum. Atque ideò difficultatem habet hæc (sententiarum earumdem) duplicatio, neque scimus quorsùm tendat in hoc loco. »

« *Quæstio quarta* ex eo petitur, quod S. Scriptura dicit (2 Sam. C. VIII, v. 18) : *et Banaias filius Jojadæ, et Kerethi et Pelethi; filii autem David sacerdotes erant.* Versiculus hic non rectè se habet. Nam in versiculis præcedentibus S. Scriptura de omnibus ministris Davidis memoravit quodnam fuerit singulorum officium, dixitque Joabum præpositum fuisse exercitui, Josaphat fuisse a commentariis, Sadocum et Achimelech sacerdotes, et Saraiam scribam ; at verò hìc (v. 18) de Jojadâ et de Kerethi et Pelethi non commemorat quodnam fuerit ipsorum officium, opificium aut occupatio in domo regis. Ac vel ideò minùs rectè se habet, quòd, quum Jojada sit vir singularis, Kerethi autem et Pelethi sint familiæ, uti probabo, hos (Kerethos et Pelethos) commemorat in medio virorum particularium. Porrò quid sibi vult Scriptura dicendo (ibidem) : *filii autem David* (כהנים) *sacerdotes erant?* neque enim erant illi ex stirpe Aaronis summi Pontificis; (quod si dicas S. Scripturam dicendo כהנים היו indicare voluisse filios Davidis fuisse *principes, proceres*, ego tibi referam), haud necessarium fuisse ut S. Scriptura hìc indicaret eos fuisse principes. An fortè ignoramus

filios Regis principes fuisse virosque spectabiles?»

« *Quæstio quinta* est circa beneficium quod, narrante S. Scripturâ, David jussit præstandum Miphibosetho Jonathanis filio; nempe David præceperat ut eidem redderentur omnes agri Saulis patris ejus. Atqui, secundum jus, nullum erat in hoc beneficium neque magnum neque parvum. Quid enim? reddebat David Jonathani quod hujus erat; nam agri erant Saulis, et Jonathan hæres Saulis, nec erat alius hæres ex filiis uxorum ejus. Quodsi dicamus agros illos possessionem fuisse etiam filiorum Rispæ filiæ Ajæ concubinæ Saulis, nova sic oritur quæstio eaque difficilis, quomodo scil. David hos spoliaverit eorum hæreditate eamque concesserit Miphibosetho. Huic ergò David beneficium præstitisset ex bonis filiorum Rispæ, nec de suo quidquam ei dedisset, sed de eo tantum quod aliorum erat; (ubi ergò beneficium?)»

« *Quæstio sexta* est circa id, quod cum legatis Davidis egit Hanno Rex Ammonitarum; is scilicet dimidiam eorum barbam jusserat radendam, et vestes dimidias ad nates usque resecandas, idque quia a servis suis in eam inductus erat suspicionem, ad se non venisse legatos Davidis nisi terram explorandi causâ. Nam, peto, si in oculis ejus erant exploratores, cur non (potiùs) eos occidit, aut certè pœnâ aliquâ hâc graviori affecit? Et quæ tandem, quæso, proportio est inter hanc pœnam et illam transgressionem? An abradere dimidiam barbæ

partem pœna est, quæ conveniat exploratoribus? Quod si hoc fecerit iram suam et contemtum demonstrandi causâ, quidni radendam jussit barbam eorum integram? »

« Accedo nunc ad interpretandum versiculos (singulos hujus sectionis), quod ità præstiturus sum ut unà solvantur quæstiones omnes hactenùs propositæ. »

Vers 1. « *Accidit autem post hæc ut percuteret David Philistæos* etc. Narrat S. Scriptura Davidem, postquam, ut suprà (Cap. VII, v. 1) dixit, eidem concessisset Deus ut cum omnibus suis hostibus esset in pace circumquaque, (quia nempè neque Philistæi, neque reliquæ gentes facultatem habebant veniendi in terras Davidis, eidem bellum inferendi causâ), narrat, inquam, Davidem, omnem animum suum applicasse ad ædificandum Jehovæ templum, verùm a Nathane viro Dei ipsi fuisse significatum, non eum fore qui templum Dei esset ædificaturus, nec venisse adhuc tempus (plenæ) quietis et tranquillitatis. Ergò David sic secummet cogitare cœpit : re verâ non est Dei beneplacitum in eo, ut abstineam me a bellis ulteriùs inferendis; sed convenit ut hâc in re pergam. Itaque egressus est David ad conquirendos hostes et ad bellandum contra eos in terrâ ipsorum. — Hinc etiam peti debet nexus sectionis hujus et superioris. Quod autem ait Scriptura : *Accidit post hæc ut percuteret David Philistæos*, id eò

tendit ut indicet hucusque Philistæos, contractis copiis venisse belli causâ ad conquirendum Davidem, nunc verò Davidem ipsum egressum esse ad conquirendos eos reliquasque gentes. Hoc autem non fecit nisi quia placuerat Deo (laudetur), ut non ab ipso ædificaretur templum, utque nondum quiesceret a bellis inferendis; quæ (dein) intulit, inconsulto prævié oraculo *Urim* et *Thummim*, quia nempè quid vellet Deus jam didicerat ex eo quod Dei nomine ipsi indicatum fuerat a Nathane, uti suprà exposui. — »

« S. Scriptura hoc loco (2 Sam Cap. VIII, v. 1) refert Davidem eripuisse Philistæis מתג האמה Metheg-ha-ammam. Ità vocabantur unico vocabulo civitates quædam Philistæorum, quæ sitæ erant in orâ maritimâ; atque ideò in Chronicorum libris, in loco parallelo (1 Paralip. C. XVIII, v. 1) Scriptura dicit : tulit David civitatem Geth vicosque ad eam pertinentes; nam Geth vicique adjacentes omnes unico vocabulo dicebantur Metheg-ha-amma. In *Capitulis Rabbi Eliezer* (Capitulo XXXIII) (1) narrant, postquam Abimelech venisset ad Isaac, illum dixisse huic : videmus manifestò Deum esse tecum; et verò scimus etiam futurum esse ut Deus sanctus, laudatus sit, posteris tuis det omnes terras has; inito fœdus nobiscum, et jurato posteros

(1) De libro qui sub hoc nomine circumfertur deque ejusdem argumento et *vero* auctore, videsis Wolfii Bibl. Hebr. T. I, pag. 172 et sqq.

tuos non esse occupaturos agros Philistinorum; Quid ergò fecit Isaac? abscidit partem (cubitum unum) freni asini quo vehebatur, ipsisque dedit, ut sic haberent in manibus suis signum fœderis jurejurando firmati. Cum autem rex esset David, velletque intrare terram Philistæorum, non ante id potuit (obstante scilicet signo illo fœderis jurejurando ab Isaac firmati), quam eripuisset illis illud signum fœderis, uti dicitur: *et tulit David Methegha-ammam ex manu Philistæorum;* quo facto occupavit terram Philistæorum (1). »

Vers. 2. « Bellum porrò David intulit Moabitis, eosdemque percussit. Memorat autem S. Scriptura Davidem, ut ignominiosè tractaret Moabitas, eos, postquam in terram procumbere jussisset, fune mensum fuisse. Vult autem dicere S. Scriptura Davidem jussisse Moabitis captivis ut procumbentes in terram, jacerent ibi unus post alterum, tum ità dispositos funibus fuisse mensum, et eorum fune demensorum partes duas neci tradidisse, in vitâ autem conservasse partem superstitem hominum, qui turba captivorum essent. »

« David autem ita tractavit Moabitas propter eà quod, uti referunt sapientes piæ memoriæ in *Bemidbar rabba,* occiderant patrem ejus et matrem et fratres, in regione Moabitarum a se relictos, quo tempore sibi fugiendum erat a

(1) Miraberis hìc, Lector! quam nihil sit, quod Rabbini non explicent.

Saule, sicut scriptum est (1 Sam. C. XXII, v. 4): *et duxit eos ante faciem regis Moab*, etc. Nam Davide indè profecto in saltum Chareth, occidit Rex Moabitarum patrem ejus et matrem et fratres ejus, excepto uno, qui aufugit, quemque salvum præstitit Naas Ammonita. Verùm sensus simplex est, ità cum his gentibus egisse Davidem, ut caveret ne gentes illæ iterum bellum moverent contra Israelitas. Patet autem Davidem noluisse occidere Moabitas ad unum omnes, verùm voluisse ex eorum numero (captivos) adducere (secum), qui essent servi et ancillæ; contrà tamen nec omnibus vel sic parcitum voluit; nam usque adeò multi erant, ut timendum fuisset ne quando forsè essent conspiraturi in famulitio suo contra habitatores Israelis; ideòque neci dedit eorum duas tertias, et in vitâ conservavit unam tertiam. Erant enim adeò multi, ut tertia illa pars, quam in vitâ conservavit David, sufficiens esset ut Israelitis de famulis et famulabus prospiceretur. Postquam autem David seque Deumque de eis vindicaverat, subditi ejus facti sunt erantque illi servorum loco, qui *munera eidem afferebant*, h. e. quotannis solventes tributum. »

Vers. 3. « S. Scriptura pariter commemorat Davidem bellum gessisse cum Hadadhezero rege Aram-Tzobæ, eumdemque percussisse, cum is egressus ad proferendos (להרחיב) fines terræ suæ, jam ingressus erat intrà fines Israel, ut imperium

suum extenderet usque ad flumen Euphratem. In Chronicorum Lib. I, c. 18, v. 3, dicitùr ad *constituendum* manum suam (h. e. potestatem suam); quod convenit cum eo quod mox dicebam; et sic etiam est in Targum Hierosolymitano : *ad mutandum terminos suos*. Porrò Hadadhezer iste principio quidem pessimè habuerat Israelitas eorumque agros aliquot abstulerat, verùm deinceps David et Dei et populi vindictam ab eo exegit, atque ideò ait in Psalmo (60)! *Deus repulisti nos et destruxisti nos*, etc. (v. 3) : *commovisti terram et conturbasti eam*, etc. (v. 4) : *ostendisti populo tuo dura*, etc. (v. 5); tum scilicet cum bellum gerebat Hadadhezer cum Israelitis, agrosque eorum auferebat. Quia verò, quum egressus esset ad constituendos terminos suos ad flumen Euphratis, ut aliam partem Israeliticæ terræ in suam potestatem redigeret, vires suas accinxerat David egressusque contra eum, eumdem profligaverat, ideò ait ibidem (v. 6) : *dedisti metuentibus te significationem ut fugiant*, etc. *ut liberentur dilecti tui;* et concludit dicendo : *da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis; in Deo faciemus virtutem* (v. 13—14). Narrat autem Scriptura ibi Davidem ab Hadadhezero cepisse equites (פרשים) mille et septingentos, et viginti millia peditum, subnervasse autem omnes currus (equos currûum), idque propter præceptum (Deuteron. Cap. XVII, v. 16) : *non multiplicabit sibi equos*. David enim

in Deo spem suam reponebat, optimèque noverat *mendacem esse equum ad salutem* (Ps. XXXIII, v. 17); atque ideò subnervavit eos, sicut præceperat Deus, laudetur, Josue: *equos eorum subnervabis*. Est autem subnervare equos, eorum ungulas discindere a genu et deorsùm, ità ut amplius pedibus uti non possint. Nec reservavit nisi centum currus (sc. equos centum currûum); unusquisque autem currus junctus erat quatuor equis. In libro verò Chronicorum in loco parallelo dicit Scriptura: mille currus et septies mille equites; adeòque mille septingenti equites, quos hìc (in Samuele) numerat, sunt duces *majores* exercitûs Hadadhezeri, quibuscum et sub quorum imperio erant viri multi; non autem memorat hìc (in Samuele) Scriptura numerum currûum. Illìc verò, in Chronicorum libris, dicuntur fuisse mille currus et septies mille equites; hi autem sunt duces illi qui hìc (in Samuele) memorantur unà cum aliis equitibus istorum imperio subjectis; ità ut omnes omninò equites, quâ duces, quâ non, omnes, inquam, qui equis vehebantur, fuerint septies mille; præter hos autem equites, fuêre decies mille pedites. Narrat autem Scriptura omnes hos a Davide fuisse *captos*, h. e. eum non trucidasse eos sed vivos cepisse, ut sua capita auro rependerent. Atque ità etiam vocabulum וילכד intellexit Jonathan, qui id reddit: ואסר. — »

V. 5. « *Venerat autem Aramæus Damasci.* Me-

morat hìc S. Scriptura venisse Aramæum Damasci; hoc erat nomen unius ex populis Aramæis; dicit autem S. Scriptura Aramæum *Damasci*, quia pariter dixerat Aramæum *Tsobæ*, et Aramæum *fluminum* (Mesopotamicum), et Aramæum *Maachæ*, et Aramæum *Beth-rechobensem*. Itaque narrat S. Scriptura venisse Aramæos Damascenos ad auxilium ferendum Hadadhezero, regi Aramæorum Tsobensium, duosque hosce populos contra Davidem bellasse. Concidit autem David Aramæorum Damascenorum, ut notat sacer auctor, viginti duo millia. Cum auxilium laturi Aramæis Tsobensibus adventarent Aramæi Damasceni, his verosimiliùs obviam ivit David eosdemque concidit. Videntes ergò Aramæi Damasceni se non posse resistere irruenti exercitui Davidis, semet eidem submiserunt, dona obtulerunt, et quotannis tributum penderunt; inque eorum regione David præsides constituit; scilicet, fuere gubernatores ab eo constituti, qui ipsos regerent et ab eisdem tributa cogerent, ut mos erat agendi erga devictos populos. Dein animadvertit S. Scriptura victorias quas David reportabat ejusmodi fuisse, ut quicumque eas consideraret, agnoscere deberet eas superare vires naturæ, atque auxilio Dei extraordinario esse adscribendas. Nec verò tantùm gloriam et præstantissimam famam iis victoriis sibi David parabat, sed etiam opes magnas. Nam gestabant equites Hadadhezeri שלטי זהב h. e. cly-

peos aureos, vel, secundum Rashii interpretationem, pharetras, in quibus sagittæ mittebantur. Commemorantur porrò hìc (c. 8, v. 7, sqq.) a sacro auctore omnia spolia, quæ in bellis suis Davidi obtigerant, ut narret eum collecta hæc omnia sacro usui consecrasse, scil. in usum templi (ædificandi); proptereà dicit Davidem *ea mittenda curasse Jerosolymas*, ut scil. conservarentur ibi in domo Dei, in hujus decus et gloriam. Magnum etiam æris pondus tulit David ex civitatibus Hadadhezeri, atque ità evasit ditissimus. Cujus divitiæ indè adhuc auctæ sunt, quòd, cum a Davide cæsum fuisse Hadadhezerum audisset Thohi, rex Hamat, (qui magnopere lætatus fuerat de clade sui inimici; nam Hadadhezer perpetuò bellum ipsi inferebat, ipsumque opprimebat), hic filium suum misit ad Davidem qui regem (nomine sui patris) salutaret *eidemque benè precaretur* (ולברכו) h. e. optaret ipsi a Deo prosperos omnium ejus bellorum eventus, hostesque ejus omnes illius potestati subjectos. Vel τὸ ולברכו interpretêre : *eidemque donum offerret* (1); mox enim dicitur : *erantque in manu ejus* (filii regis Thohi) *vasa argentea, et aurea* etc.; sciendum namque est donum aliquod (מנחה) etiam ברכה dici (adeòque mirum videri non debet τὸ ולברכו explicari : *ut eidem*

(1) Posteriorem hanc interpretationem priori præfert Abarbanel, ut patet ex eo quòd suprà dixit ex legatione a Thohi ad Davidem missâ adhuc auctas fuisse hujus divitias.

donum offerret); v. g. *accipe*, *quæso*, *munusculum meum* (ברכתי) *quod tibi offertur*. Gen. Cap. XXIII, v. 11. — Itaque quemadmodum David non transgressus est præceptum : *Non multiplicabit sibi equos* (ut suprà dixi), ita nec impegit in præceptum : *argentum et aurum non multiplicabit sibi*. Vid. Deut. C. XVII, 17. Nam quæcumque ei obtigerunt, ea omnia domui Dei sacrata voluit; adeòque thesauri erant non sui ærarii sed domûs Dei. »

V. 13. « Narrat prætereà S. Scriptura de prospero eventu bellorum Davidis ejusque victoriis, hunc, cum reverteretur a strage illatâ Aramæis Tsobensibus, quando profligavit Hadadhezerum, vel, cum reverteretur a strage illatâ Aramæis Damascenis, ut suprà explicui, cecidisse in valle salis octodecim millia hominum. Sed hæc strages non dicitur ibi cuinam genti fuerit illata; verùm rectè asseritur in libris Chronicorum et in Psalterio in valle salis tum percussos a Davide fuisse Idumæos. Itaque cum reverteretur David a strage illatâ Aramæis, percussit Idumæos, et hoc est quod dicitur (v. 13) : *peperit sibi* famam David, i. e. facinus bellicum patravit. Atque ideò S. Scriptura dicit in Psalterio (Ps. 60) : *quum bellum gessisset contra Aramæos Mesopotamenses et Tzobenses, et reversus Joab stragem intulisset Idumæis in valle salis*. Videtur autem hoc bellum incœptum fuisse ab Abisai, isque Idumæorum interfecisse sex millia; absolutum verò videtur a

Joabo (1) reverso, isque occidisse eorum duodecim millia. Atque hâc ratione inter se conveniunt loca (2 Sam. Cap. VIII, v. 13. 1 Paralip. Cap. XVIII, v. 12; et Psalm. LX, v. 2), alias sibi contradicentia). Nam ità (2 Sam. C. VIII, v. 13) S. Scriptura hoc bellum hìc attribuisset Davidi, proptereàquod is erat Rex, ipsiusque potestati subjecta erant cuncta; numerus vero cæsorum dicitur fuisse octodecim millium hominum, quia revera omnes omninò tot fuêre. Idem vero bellum in 1 Paralipom. Cap. VIII, v. 13, adscribitur *Abisai*, quia nempè is præsertim illud incœperat; porrò in Psalterio notat S. Scriptura quid Joab per seipsum fecerat; cum verò is, quod Abisai incœperat, perfecisset bellum, hinc ibi dicitur : *reversusque Joab percussit Idumæos;* nam reversus fuerat ad perficiendum quod incœperat Abisai. »

« Quærunt in *Midrash Tanchuma* sapientes nostri piæ memoriæ, quid sibi velit istud : *et fecit David* sibi nomen (2 Sam. C. VIII, v. 13)? respondent verò, a Davide missum fuisse Joabum ut sepeliret interfectos, uti legitur (1 Reg. Cap. XI, v. 15) : *cum adscendisset Joab princeps militiæ ad sepeliendum* etc.; et hanc fuisse, dicunt, præclaram famam Israelitarum, eos scil. solitos fuisse sepelire hostes suos (qui in bello cecidissent); atque ità, pergunt dicendo, S. Scriptura (Ezech. C. XXXIX,

(1) A quâ clade inferendâ Joab hìc dicatur *reversus*, explicatur sub finem interpretationis hujus versiculi decimi tertii.

v. 13) ubi loquitur de bello contra Gog et Magog, dicit : *et sepeliet eum universus populus terræ.* Referunt prætereà in discursu de vocabulo שם (cf. 2 Sam. Cap. VIII, v. 13), cum iret Joab ad bellandum cum Aramæis, eidem obviam venisse Idumæos, et dixisse : « an Scriptura non dicit (Deuter. Cap. II, v. 5) : *ne moveamini contra eos* (Idumæos)? » illis verò respondisse Joabum : « an Scriptura non dicit (ibid. v. 4) : *transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau ;* ergo sinite ut per terram vestram transeamus ; » cum verò ut hoc facerent Israelitæ non sinerent Idumæi, dixisse Joabum : « si nunc vastamus Idumæos, reversi a cæde Aramæorum non inveniemus nec cibum nec potum ; quare dimittamus eos donec percusserimus Aramæos, et tunc redibimus ad eos ; » atque ideò, aiunt, scriptum esse : *et reversus est Joab* et percussit Idumæos. Dixit illis Deus sanctus, laudatus sit, ità pergunt Sapientes nostri, quid prodest vobis paulatim percutere Idumæos? Abisai Serviæ filius octodecim millia eorum percussit, tu verò (Joab) decem millia. Ubi tempus advenerit ego delebo ipsum (Idumæum), ego eum vastabo. — Hucusque sapientes nostri. Secundum hanc ergò expositionem essent hìc duo bella distinguenda : unum quod hìc (2 Sam. C. VIII) memoratur, in quo cecidissent octodecim millia hominum, et alterum, de quo sermo est in Psalterio, in quo cecidissent duodecim millia hominum ; atque hæc etiam est opinio Raschii ; verùm

hoc, meâ quidem sententiâ, alienum est a sensu verborum S. Scripturæ. »

V. 14. « Quod autem dicit S. Scriptura : *constituit in Idumœâ præsides, in universâ Idumœâ constituit præsides*, circa hoc notant interpretes : quia S. Scriptura utitur sententiâ absolutâ hâc : *constituit in Idumœâ præsides*, necessariò intelligendum esse Davidem in universâ Idumæâ præsides constituisse, ita nempè ut nulla Idumæorum civitas fuerit in quâ præsides non constituerit. Verùm convenientius ità interpretandum est, ut dicatur : fuisse a Davide præsides constitutos in Idumæâ (præsides autem illi fuêre proceres de domô Davidis, Idumææ cum imperio præpositi; sapientes nostri dicunt fuisse exactores tributorum); atque etiam indicetur Davidem præsides hos gubernatores non unâ vice constituisse, sed pluribus; et ideò dicitur : *constituit in Idumœâ præsides, in universâ Idumœâ constituit præsides*, ad indicandum nempè repetitis vicibus id a Davide factum. Ita ostendebatur (continuè) imperium Davidis in Idumæos, quum repetitis ità vicibus præsides constitueret in Idumæâ; hoc autem factum est, quia universa Idumæa subdita erat Davidi. Nec verò hoc effecit David suis viribus, verùm quia Deus ubique prosperos ei largiebatur successus, et prodigio similes; adeòque vi divinâ ubique prosperè res agebat. Atque ex his quæ hactenùs dixi solutionem habes quæstionis primæ et secundæ. »

Pag. 225, v. 10.

אם לחסד. Versiculus Jobi (Cap. XXXVII), cujus pars hoc loco citatur, integer hic est: אִם־לְשֵׁבֶט אִם־לְאַרְצוֹ אִם לְחֶסֶד יַמְצִאֵהוּ. Voluisse autem Abarbanelem adducere hujus versiculi verba priora, scilicet: אם לשבט אם לארצו; ex ejus contextu manifestò patet. Quare non dubito quin, quocumque tandem modo, mendum hìc irrepserit, et pro τῷ אם לחסד אם לארצו (ut legitur in editione Pfeifferi, Lipsiæ 1686, quâ utor), legendum sit: אם לשבט אם לארצו.

Pag. 227, v. 12.

פירשו. Notat hìc Abarbanel in vocabulum והכרתי, τὸ *Vau* (ו) explicandum esse על, ut in hoc Isaiæ: לא אוכל און ועצרה, ut adeò ועצרה interpretandum sit: על עצרה; id verò an rectè ab eo dicatur, multùm dubito. Quid quod Abarbanel ipse non videtur eam interpretationem sat rectam habuisse? Nam, in commentario suo in hunc Isaiæ locum, τὸ ועצרה non explicat: על עצרה, idque rectè. En ejus verba: לא אוכל און ועצרה. ר"ל: לא אוכל לסבול שני דברים הפכיים שהם און המעשים והעונות מצד אחד, ועצרה ועיכוב וישיבה רבה בבית המקדש; שאתם נעצרים ויושבים שם כגוי אשר צדקה עשה.

Pag. 242.

Salomo Aben Melech, non Hispanus, ut Bartolocci notavit, sed Fessanus ex Africâ fuit (1). Scripsit hic in S. Scripturam universam commentarium, ex præstantissimis Judæorum interpretibus, præcipuè verò ex commentario, grammaticâ et lexico *Davidis Kimchi* ità collectum, ut primò quidem vocum earumque structuræ ex præceptis grammaticis deducendæ, ac propriæ significationis habeatur ratio, deinde verò litteralis sensus succinctè et plerumque (nisi præjudicia Judaica obstent) non infeliciter eruatur. Hoc enim duplex institutum sibi fuisse testatur ipse auctor in præfatione. Salomonis nostri interpretationem *utilem* vocat Bartolocci. Commentarium suum, quem מִכְלַל יוֹפִי inscripsit, A. C. 1523 incœptum triennio absolvit Aben Melech ætate jam provectus, ut testatur Abendana (citatus a Tympio(2) apud Wolfium. vid. infrà); ex quo quando vixerit Aben Melech quisque facilè colligere poterit; sed, ad quam ætatem pervenerit, et quis fuerit annus ejus emortualis, nescitur. Postremæ τῦ מכלל יופי editiones duæ prodière Amstelodami, una scilicet anno 1661, et

(1) Patet hoc ex epilogo, ubi ait auctor (pag. ריח, column. 1): ואני בראותי כי בכל המערב ובפרט בפ"אס עיר מולדתי וגו'.

(2) Monuit Tympius in litteris ad *Bibliothecæ Hebraicæ* auctorem, Wolfium, datis, Salomonem nostrum interdum Kimchium non rectè intellexisse.

altera anno 1685; utraque editio aucta est Jacobi Abendanæ *spicilegio* (לקט שכחה), litteris Rabbinicis textui Salomonis Aben Melech, qui litteris quadratis exaratus est, ad latus adjuncto; in quo aliorum interpretum tum literalium tum allegoricorum et interdum etiam Kabbalisticorum interpretationes hìc illìc afferuntur; tum etiam Kimchii loca, quæ Aben Melech tantùm indicat, disertè, citatis ipsis illius verbis, apponit Abendana. Bartolocci Biblioth. magn. Rabb. P. IV, pag. 385. Wolfius Biblioth. Hebr. T. I, pag. 1075. T. III, pag. 1051. T. IV, pag. 987.

Editionum Amstelodamensium, quas suprà memoravi, usus sum ego illâ, quæ prior lucem aspexit.

Pag. 246.

ספר מדרש רבות. Missis interpretibus qui litterali S. Scripturæ sensui explicando operam potissimùm impendunt, quorumque interpretationes Hebræi פירושים vocant, venimus nunc ad ejus generis scriptores qui reconditiores S. Codicis sensus rimantur, quorumque commentarios מדרשים rectè vocaveris. Inter scripta Midrashica autem non vulgarem locum occupant ***Rabboth*** et ***Jalkut Shimhoni***, ex quibus loca quædam, speciminis dandi causâ, selegimus.

Priora inscribuntur *Rabboth* (רבות) i. e. *magnæ* scilicet *expositiones* in Pentateuchum et quinque

Megilloth, quarum singulæ a primâ singulorum librorum, quos illustrant, voce appellantur, ità ut expositio in Genesim dicatur *Bereshith Rabba*, in Exodum *Shemoth Rabba*, et sic porrò. *Magnarum* autem expositionum seu *Rabboth* nomine veniunt ideò, quòd ibi collectæ extant diversæ ac potissimùm mysticæ expositiones, quæ antiquioribus doctoribus vel affinguntur vel acceptæ referuntur. Harum collectorem Judæi scriptores dicunt *Rabba fil. Nachmani*, præfectum scholæ Pumbeditanæ in Babyloniâ, cujus ætatem referunt in A. M. 4060 (C. 300). Hæc tamen sententia non placuit Joanni Morino, qui רבות post sæc. VII composita censet, quia in opere Talmudico mentio fit de *Rabboth*, atque in hoc commentario recensentur res, quæ post demùm annum Christi 300 acciderunt; tum etiam quòd dictiones inibi occurrunt Gothicæ et Longobardicæ, et nomina regionum recentiora. Wolfius verò existimat *Rabboth* accepta ferenda esse diversis auctoribus, qui diversis temporibus vixerunt, quorumque alii Mishnicis, alii Gemaricis scriptoribus propiores aut ab iisdem remotiores fuerunt; horum deinde observata in unam farraginem congesta esse, vel saltem sensim magis magisque amplificata; quam sententiam confirmari notat idem auctor ipsâ dictionis varietate, quæ in his commentationibus observatur. Addit porrò, ex vocibus illis peregrinis, ætatem recentiorem sapientibus, de quibus

suprà, non sine periculo errandi totius commentationis ætatem recentiorem æstimari. Bartolocci Biblioth. Magn. Rabbin. P. IV, pag. 362. Wolfius Biblioth. Hebr. Tom. II, pag. 1423 et sqq. Jo. Morinus Lib. II. Exercit. IX, Cap. II, pag. 350 et seqq. Parisiis 1686.

De ילקוט שמעוני *perâ Simeonis,* pauca hæc accipe, Lector. Liber is commentarius allegoricus est in sacram Scripturam universam, collectus ex opere Talmudico et ex variis antiquis libris, veluti *Siphra, Mechilta, Rabboth, Tanchuma* et similibus. Auctor est quidam R. Simon, qui *concionator* (דרשן) fuit Synagogæ Francofurt. ad Mœnum. Vid. Buxtorfii Rabbin. Biblioth. a. v. ילקוט; et Wolfii Biblioth. Hebr. Vol. III, pag. 1138.

Pag. 252, v. 4.

שנו רבותי׳ וגו׳. Interpretatio quæ hìc, ut sæpè, ad modum dialogi datur, hausta est ex tractatu Talmudico *Succa* inscripto, Cap. V, et legitur in Gemarâ ad Mishnam: החליל, in editione Francofurt. pag. נב, columnâ 1ª. — Subjicio hìc ejus loci Latinam interpretationem:

«*Pete a me* etc. Tradunt magistri nostri: Messiæ (qui veniat citò, et dum nos sumus superstites!) dixit Deus sanctus, (laudetur!): pete quod a me quæris, et ego dabo tibi; nam dictum est: *pete a me.* Cum autem intelligeret Messias filius Joseph

futurum esse ut occideretur, respondit Deo : Domine mundi : aliud a te non peto nisi vitam. Regessit Deus : hoc, antequam petivisses, jam de te prophetavit David pater tuus ; dictum est enim : *vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum et in sæculum sæculi* (Ps. XX, v. 5. Vulgat). »

Patet profectò ex hoc loco magistros Talmudicos pro unâ eâdemque personâ habuisse Messiam filium Joseph et Messiam filium Davidis ; ut adeò distinctio inter Messiam gloriosum et Messiam virum dolorum, vanum sit recentiorum Rabbinorum commentum. « Les rabbins, *ait clarissimus Drach* (1), qui, pour échapper à plusieurs arguments des chrétiens, ont imaginé *deux Messies différents,* un Messie de gloire, fils de David, et un Messie d'opprobre et de douleurs, fils de Joseph, de la tribu d'Ephraïm, ne remontent pas au-delà du XI[e] siècle (vid. R. Nathan, dans son livre Arouhh, lit. *gouph* (guimel, vav, pê) et R. Sal. Yarhhi sur Isaïe 11 ; 13, 24 ; 18). Aben Ezra sur le Ps. 80 ; 18, fait mention du *Messie, fils d'Ephraïm ;* mais on voit par son commentaire sur Isaïe 11 ; 13, qu'il n'admettait qu'un seul Messie. Car à l'occasion de ces paroles du texte : *Ephraïm ne sera point jaloux de Juda,* il dit : « Ephraïm ne sera point jaloux » de ce que le Messie sera d'une famille de Juda. »

(1) *Deuxième lettre d'un rabbin converti aux Israélites ses frères sur les motifs de sa conversion. Pag.* 260 *sq. Paris,* 1827.

(Conférez aussi Is. 9; 20). Ce rabbin florissait dans le XIIe siècle. »

« Maïmonides qui donne, dans son traité des rois, chapitres 11 et 12, la description des temps du Messie, ne fait aucune mention du prétendu Messie fils de Joseph. Il dit seulement que « dans la pro-» phétie de Balaam nous voyons deux Messies; » l'un est le roi David qui a sauvé Israël de ses » oppresseurs, et l'autre est le Messie futur qui » délivrera Israël des *enfants d'Edom.* » Les rabbins appellent ainsi les chrétiens. »

« Le texte d'aucune prophétie ne se prête à la doctrine d'un double Messie. Si la paraphrase chaldaïque du cantique des cantiques (4; 5. 7; 3) parle de deux *Rédempteurs* (פְּרִיקַיִךְ perikáyihh), l'un fils de David, l'autre fils de Joseph, on voit qu'il ne veut désigner que les deux états du même Messie. D'ailleurs, on ne connaît pas l'auteur de cette paraphrase, ni l'époque où elle fut faite. Ce qu'il y a de bien certain, c'est qu'elle est de beaucoup postérieure à la confection du Talmud, laquelle n'eut lieu que vers le septième siècle. Au livre des cantiques (1; 2), elle parle de la distribution du Talmud en six sections. »

« Dans la paraphrase de Jonathan-ben-Huziel sur l'Exode 40; 11, il est parlé du *Messie, fils d'Ephraïm, qui doit sortir de Josué.* Il est évident que ce passage est étranger au texte du targumiste. Comment aurait-il pu parler du Messie à propos

de ce verset : ***Et tu oindras le bassin et sa base, et le consacreras***? J'ajouterai que celui qui a fait cette insertion était peu instruit de la croyance des juifs modernes relativement au ***fils de Joseph.*** Il le représente comme devant vaincre *Gog* (limnatshha legog), tandis que, selon les rabbins, après avoir tué le prince de l'état ***Iduméen***, il tombera lui-même dans la guerre de *Gog*. Ce dernier ne sera tué que par le Messie fils de David. Voyez R. Sal. Yarhhi sur Isaïe 24; 18. »

Pag. 152, v. 11.

אמר שטן וגו׳. Subjicio hìc loci hujus universi Latinam interpretationem :

« Dixit Satan coram Deo sancto : mundi Domine! splendor ille, qui habetur sub throno gloriæ tuæ, cujus est? Respondit ei Deus : illius, qui te acturus est retrorsùm et pudore affecturus. Regessit Satan : mundi Domine! ostende eum mihi. Cui Deus; venito et videto eum. Qui simul ac eum vidit expavit (1), et vultu prolapsus in terram, verè, inquit, hic est Messias qui me gentesque omnes (puta ***idololatricas***) aliquando projecturus est in Gehennam. — Incipit (mox) Deus Sanctus, laudetur, pacisci cum eo (Messiâ), dixitque ei : iniquitates eorum qui reconditi sunt apud te ali-

(1) נזדעזע est a זוע in formâ *nithpalpel*.

quando mittent te sub jugum ferreum, efficientque similem vitulo cujus oculi caligaverunt, et spiritum tuum suffocabunt isto jugo; propter horum iniquitates, inquam, futurum est ut aliquando lingua tua adhæreat faucibus tuis; an in his voluntas tua acquiescet? Respondit Messias coram Deo Sancto : Domine mundi! fortasse afflictio illa ad multos annos (perseveratura est)? Respondit illi Deus Sanctus : per vitam tuam et per vitam capitis tui, hebdomadam decrevi super te. Si animus tuus (indè) dolore afficitur, ex nunc rejicio eos (a te aliàs salvandos). Respondit coram eo : Domine mundi : cum exsultatione cordis mei et cum lætitiâ cordis mei ego (hæc omnia) in me suscipio, sed eâ lege ut nemo pereat ex Israel; nec vivi tantùm salvandi sunt in diebus meis, sed etiam illi qui reconditi sunt in pulvere (terræ); nec mortui tantùm salvandi sunt in diebus meis, sed etiam illi mortui qui vitâ functi sunt indè a tempore primi hominis; nec illi tantùm, sed etiam abortivi salvandi sunt in diebus meis. Sub eâ lege ego his (quæ a te dicta sunt) acquiesco; sub eâ lege hæc in me suscipio. »

« Dixêre (doctores nostri) : hebdomadâ illâ, quâ venturus est filius David, allaturi sunt trabes ferreas, ejusque collo imposituri, donec statura ejus incurvetur; ipse intereà ululabit, et plorabit, et vox ejus ad æthera ibit. (Tùm) dicturus est coram Deo : Domine mundi! quamdiù robur

meum, spiritus meus, animus meus, membra mea hæc ferre poterunt? An non caro et sanguis ego sum? — Propter hanc horam, quâ passurus esset hæc Messias) plorabat David et dicebat : *aruit tamquam testa virtus mea* (robur meum). In eâdem illâ horâ dixit ei (Messiæ) Deus Sanctus : Ephraim, Messia justitiæ meus! jam indè a sex diebus creationis suscepisti (hæc) in te. »

NOTÆ MISCELLANEÆ.

IN CAP. VIII.

PHILOSOPHI ET THEOLOGI.

—

Liber inscriptus כתר מלכות, *Corona regni*, ex quo præsentem locum selegimus, auctorem habet Salomonem ben Gabirol, Hispanum ex Malagâ oriundum, qui floruit sæc. XI, nam mortuus est anno 1071. De argumento libri כתר מלכות si quæras, dici potest, sermonem inibi esse *philosophicum* de Dei attributis ejusque operibus. Quod si formam ejus spectes, prosâ rhytmicâ et ad modum hymni compositum rectè dixeris. Cætera quæ scripsit opera Salomon ben Gabirol recensentur a Bartoloccio (Bibl. magn. Rabbin. T. IV, pag. 370), et Wolfio (Bibl. Hebr. T. III, pag. 1029); cf. etiam : *Zur Geschichte der Jüdischen Poësie vom Abschluss der heiligen Schriften alten Bundes bis auf die neueste Zeit, von Franz Delitzsch. Leipzig* 1836, *pag.* 2.

Pag. 256, v. 11.

לך המציאות וגו׳. h. e. : « Tibi est essentia, ex cujus lucis umbrâ factum est omne ens; hinc est

quod dicimus : *per umbram* (בצלו) *ejus vivemus.* » Hæc nemo valdè perspicua dixerit. Verba autem S. Scripturæ quæ ibi, quasi in præmissæ sententiæ confirmationem, allegat auctor, et malè truncata sunt, et in præsentem rem nullatenùs quadrant; nec בצלו interpretandum est, *per umbram*, ut suprà feci ex mente Gabirolis, sed *sub umbrâ*. Cæterùm ob eam sententiam, quam hic Latinè interpretati sumus, aliasque similes, auctor malè adduceretur in suspicionem Pantheismi, a quo remotissimus est, ut constat vel ex iis quæ hìc ex ejus כתר מלכות typis exscribenda curavimus.

Pag. 257, v. 6.

יוסיף. Pro יוסיף, ni fallor, scribendum est יוסף; hoc certè postulare videtur orationis contextus. Franciscus Donatus, cujus editionem hìc repræsentamus, tametsi יוסיף ediderit, יוסף tamen intellexisse videtur; nam vertit : tu es unus et unitas tua nec minuitur *nec augetur.*

Ibid. v. 12.

ואי לו וגו'. Quod hìc dicitur nullâ ratione quadrat in rem de quâ agitur, sed est inane complementum (*cen lapvers*), ut haberetur syllaba similiter cadens, quæque consonaret præcedenti ומנפול. Verba ואי לו וגו', desumta sunt ex Ecclesiastis capite IV, v. 10.

Ibid. v. 15.

ולא ישלוט וגו'. Sensus : « Deus ens est, in quod dominari nequit τὸ quomodo, τὸ quare et τὸ non. » Quæ verò sequuntur, si dicta sint, ut certè videri possent, contra mysterium SS. Trinitatis, prorsùs rejicimus, utpote divinitùs edocti *in tribus divinis personis unam esse* numero *essentiam.*

Cæterùm antiquæ synagogæ haud incognitam fuisse pluralitatem imo trinitatem personarum in Deo, non contemnendis argumentis probaturi sumus in notis miscellaneis ad selecta Targumica, quæ habentur in Chrestomathiæ nostræ voluminis 1ⁱ parte posteriore.

Pag. 259, v. 16.

כי הכל כור אחד. Hæc si verbotenùs reddere velis vertenda forent : *nam omnia mensura una sunt;* quod quid notet, obscurius est. Accedit, vocabulo כור non significari *mensuram* aliquam universè, sed tantùm mensuram illam specialem, quæ decem *bathos* continebat. Fortè pro כור legendum est סוד, quod in præsentem locum benè quadrat. Franciscus Donatus vertit : « Tu es Deus; neque est ulla discrepantia inter deitatem tuam, inter æternitatem et essentiam tuam; *omnium enim una eademque est mensura.* » Quæ latina certè sunt satis perspicuè dicta ; at verò non leguntur in

Hebræico textu. Nam, ut taceam vocabulum כור non notare mensuram aliquam universè, hebraicè legitur : כי הכל כור אחד, non verò כי לכל כור אחד vel כי הכל כור אחד לו, quod alterutrum hic Gabirolis locus exhibere debuisset, ut recta dici posset Donati nostri interpretatio : *omnium enim una eademque est mensura.* —

Pag. 260, v. 3.

והחכמה—אמון. Cum hoc loco confer Proverb. Cap. VIII, v. 30, ubi de æternâ Dei sapientiâ, secundâ, inquam, sanctissimæ Trinitatis personâ, pariter dicitur : ואהיה אצלו אמון, quod Vulgata reddidit: *cum eo eram cuncta componens;* ubi an præpositio אצל ad exprimendam Verbi *personalitatem* disertiùs fuisset reddita : *juxta, propè,* quod certè etymologicè rectius foret, ambigi potest.

Ibid. v. 5.

אתה חכם וגו'. Hujus loci sat obcuri subjicio hìc Latinam interpretationem Donati.

« Tu es sapiens, et ex sapientiâ tuâ opportunam tibi reservasti voluntatem quasi opificem et artificem, ad educendum ens de non ente, dum protrahitur lux, quæ ab oculo egreditur, et sine situlâ de lucis venâ haurit, omniaque absque instrumento operatur. »

Forsan rectiùs sic reddideris : Tu es sapiens, et ex sapientiâ tuâ (puta *ab æterno*) secrevisti (prodire fecisti) quasi opifex et artifex in tempore exequendam voluntatem educendi ens de non ente, quemadmodum protrahitur lux, etc. Animadverte, lector, me pro בהמשך legisse כהמשך; existimo enim comparationem aliquam hìc institui, quâ elucidetur productio *entis* ex *non ente*.

Pag. 261.

משה המיימוני vel aliàs ר' משה בן מימון h. e. R. Moses filius Maimon (undè Maimonides, מיימוני), et per ראשי תיבות (i. e. initiales litteras vocum harum : ר' משה בן מימון) vulgò dictus רמ"בם *Rambam*, A. M. 4891, Christi autem 1131, natus est Cordubæ in Hispaniâ, undè et Moses *Cordubensis* audit; a diuturnâ verò morâ quam in Ægypto protraxit, Moses *Ægyptius* dicitur. De quo viro non immeritò gloriantur Judæi; fuit enim sanè quam doctissimus; nam præter scientias apud suæ gentis doctores vulgares, etiam philosophicas, physicas, mathematicas et medicas, quæ suo tempore erat illarum scientiarum conditio, apprimè calluit. Et verò multiplicem suam eruditionem et ingenii capacitatem, editis libris benè multis, luculenter probavit. Horum catalogum exhibent Bartolocci et Wolfius infrà citandi. Ejus operum præcipua sunt : 1° פירוש המשנה *commentarii in*

Mishnam; quos exaravit Arabicè, absolvitque ætatis suæ anno trigesimo, quod certè non minimum est præcocis ejus ingenii argumentum. Qui commentarii deinde ex Arabico idiomate, non omnes simul sed per partes, diversis in locis et a diversis interpretibus in linguam Hebraicam fuêre conversi. 2° יד חזקה *manus fortis*, qui liber alias etiam vocatur משנה תורה *repetitio Legis*, vel simpliciter ס׳ מַדָּע, *liber scientiæ*. Eo opere, linguâ Hebraicâ elegantissimâ (1) exarato, sistit compendium operis Talmudici; in eo scilicet omnes ceremonias et jura Hebræorum ex universo Talmude collecta, methodo et ordine aptissimo, digessit, ità ut summa Talmudis meritò dici possit. 3° מורה נבוכים *doctor perplexorum*. Hunc librum Arabicè Maimonides conscripsit in gratiam discipuli sui R. Josephi, eo instituto, ut ostenderet, quomodo verba, phrases, metaphoræ item et insolentiores locutiones in S. Scripturâ hic illîc obviæ, et sensum litteralem proprium non admittentes, capiendæ sint: quâ quidem occasione varia S. Codicis oracula, variæ item tum Philosophicæ tum Theologicæ quæstiones discutiuntur, imprimis verò ratio præceptorum Mosaicorum, quæ sine scopo data videri possent, subindè redditur. Liber ex Arabico idiomate in Hebraicam linguam convertit R. Samuel Tibbonides, Jehudæ filius; cujus interpretatio ab

(1) Ita testatur Juchasin : בלשון הקדש צח עד מאוד.

ipso Maimonide, dum adhuc erat superstes, commendata fuit. Septuaginta annos natus supremum diem noster obiit in terra sanctâ, aut, secundum alios, in Ægypto. Vid. Bartolocci Bibl. magn. Rabbin. P. IV, p. 86 et sqq. Wolfii Bibl. Hebr. T. I, pag. 834 et sqq.

Pag. 263, v. 1.

לנמנע וגו'. Latinam hìc subjicimus hujus loci interpretationem Jo. Buxtorfii, filii.

« τὸ impossibile naturam habet firmam et constantem, eamque non ex operatione vel actione efficientis, et immutabilem : undè Deo non adscribitur potentia et facultas illa (sc. impossibilia) faciendi. »

« Contra hoc nemo umquam fuit Theoreticorum ; neque etiam id cuiquam ignotum esse potest, nisi illi, qui non intelligit intelligibilia. »

« Controversia autem, quæ existit inter magistros speculationis, respicit speciem quamdam rerum, de quibus nonnulli dicunt, quod sint ex numero *impossibilium*, quorum (adeò) facultatem Deus non habeat; alii verò, quod sint ex numero *possibilium*, quæ Deus pro suo beneplacito et voluntate facere queat. Sic, v. g. : *an possint duo contraria conjungi uno eodemque tempore et in eodem subjecto? — an converti possit substantia in accidens : et vicissim accidens in substantiam? — an substantia corporalis possit esse sine accidentibus?*

hæc omnia, secundum omnes Magistros speculationis, sine contradictione sunt ex numero *impossibilium*. Sic pariter: *quod Deus possit facere aliquem sui similem : quod possit substantiam suam convertere in privationem : quod possit se ipsum facere corporeum* vel *mutare*; hæc omnia recensentur in classe rerum impossibilium, et earum quæ a Deo fieri nequeunt. Verùm *utrum facere possit, ut existat accidens solum extrà substantiam*, id ab aliquibus, ut (1) a sectâ Motatsalitorum (2) habetur *possibile*, ab aliis vero *impossibile;* quamquam non sola speculatio illos, qui affirmant existentiam accidentis extra subjectum, ad hoc statuendum induxerit; sed observatio et reverentia quorumdam placitorum religiosorum extorsit ipsis hoc effugium. Sic *possibile* nostrâ sententiâ est ut fiat res corporalis non ex materiâ (3); at *impossibile* hoc est juxta sententiam Philosophorum. Ità dicunt Philosophi: *dari quadratum, cujus diameter sit æqualis lateri*, vel, *dari angulum solidum, quem ambiant* vel *constituant quatuor anguli simplices, recti*,

(1) Rectius : id ab aliquibus Philosophis, nempè a sectâ Motatsalitorum etc.

(2) Motatsalitorum secta una est ex sectis Mohammedanicis. Cf. *Bibliothèque orientale d'Herbelot*, art. *Motazelah* ou *Motazalah*. Motatsalitos latinè vocare posses *separatistas*.

(3) h. e. ut vulgò dicimus : *ex nihilo;* atque ità hunc locum intellexêre etiam Schem Tob (שם טוב) et Aphoudi (אפודי), qui commentarium ediderunt in Maimonidis מורה נבוכים ; nam verba de quibus agimus interpretatur uterque : בריאת גשם מן האין.

et similia, esse *impossibilia*; quidam vero disciplinarum Mathematicarum expertes, qui tantummodò voces, non verò rationes istarum rerum intelligunt, existimant hæc esse *possibilia*.

Mirer autem, si ista porta ità aperta sit, ut cuivis liceat de re quâcumque, quam ipse sibi imaginatur, dicere, quod sit *possibilis*, alio dicente quod secundum rei naturam sit *impossibilis?* vel, an sit aliquid, quod istam portam claudat et custodiat, ità ut homo definire et decidere possit, *impossibile* aliquid esse ex suâ naturâ? et, an probatio hujus rei sit in facultate imaginatrice, an verò in intellectu? quâ item re discernere possimus inter imaginabile et intelligibile? (quandoque enim accidit, ut quis alteri vel etiam sibi contradicat in re quâpiam, quæ secundum ipsum est *possibile* ex naturâ suâ, adversario statuente, quod hæc possibilitas sit ex operatione imaginationis, non verò in notione intellectûs); an illa res sit aliquid extrà illa duo simul? an denique intellectu ipso distinguatur inter intelligibile et imaginabile? Hæc omnia probè sunt inquirenda et investiganda: sed non est id nostri propositi in hoc capite. »

Pag. 267, v. 3.

משמים וארץ. Nescio an hæc rectè sese habeant. Ego certè mallem hìc legisse: מהשמים ועד הארץ וגו' Obiter hìc monere juvat הלכות יסודי התורה

(*sententiæ de fundamentis legis*) esse primam partem (constat autem quinque) ספר המדע (*liber scientiæ*), qui titulus est libri primi operis Maimonides יד חזקה inscripti, quod quatuordecim omninò libris constare suprà vidimus.

Ibid. v. 6.

כייחודה. Mendum typographicum in Vorstianam editionem hìc irrepsisse minimè dubito. Itaque legendum arbitror : כייחודו. —

Subjicio hìc utriusque loci ex Maimonidis scholiaste selecti latinam interpretationem Scherzeri.

« Et dicit מצוי *existens* (tantùm), neque tribuit ipsi prædicatum aliud, præter existentiam ejus, propterea quia nullam rem, cujus voluerimus scire essentiam, intelligere possumus nisi ex definitione ejusdem. At verò S. B. non habet definitionem, quoniam definitio est composita ex genere proximo et differentiâ. Sed S. B. non habet genus sub quo comprehendatur. Igitur non poterit apprehendi (concipi) essentia ejus aliter, quam dicendo : ipsum esse Ens, et existentiam ejus esse essentiam illius ità, ut non superaddatur essentiæ. Eo ipso autem quod dicitur, ipsum esse Ens (existens), dicitur etiam, quod sit primum (Ens), hoc est, quod ipso non sit prior ulla res, quum ipse nec principium habeat neque causam. »

« Talia autem entia necessaria (necessariò exis-

tentia) non possunt esse plura duobus (1). Si enim essent duo, utrumque esset necessariò existens, et neutrum causa (alterius); ambo convenirent in aliquo, et essent sicuti species comprehendens inferiora, et in aliquo differrent ab invicem; et id in quo convenirent, esset extra id (aliud quid ab illo) quo differrent; ex quo necessariò sequeretur, utrumque esse compositum ex duabus rebus. At verò *necessariò* existens est simplex, simplicitate verâ, et non compositum. Ergo neutrum horum esset necessariò existens. Postquam igitur demonstratum est, ens necessariò existens non posse esse compositum e duabus rebus, necessariò sequitur exinde, impossibile esse, ut sit corpus : quoniam corpus est compositum ex materiâ et formâ, et convenit cum reliquis corporibus ratione corporeitatis. »

Pag. 269.

ר׳ יהודה הלוי. R. Jehuda Levita, qui floruit sæc. post C. N. duodecimo, linguâ Arabicâ opus conscripsit, in quo agitur de probandâ veritate Judaicæ religionis. Compositus autem liber est ad modum dialogi, qui locum habuisse fingitur inter regem gentilem Cozarorum et doctorem Judæum

(1) Rectius ità : « Hoc autem Ens necessariò existens fieri non potest ut sit duo aut plus duobus (h. e. ut præter illud existat alterum tale Ens aut alia plura). »

(Isaacum Singari), qui eum, medio sæc. VIII, ad Synagogæ fidem convertisset. Quem librum anno 1167 Juda Tybbonides ex Arabico idiomate in Hebraicam linguam vertit; ex quâ interpretatione a Jo. Buxtorfio filio primùm editâ, præsentem locum selegimus.

Argumentum ספר הכוזרי ità pleniùs enarrat Bartolocci : « luculenter, ait, pertractat de Deo ejusque existentiâ, nominibus et attributis; de mundi creatione; de angelis; de S. Scripturâ Dei legem continente, ejusque divinâ auctoritate; de lege orali seu traditionibus; de providentiâ divinâ; de decretis Dei; de libero arbitrio; de resurrectione mortuorum; de vitâ æternâ; de cultu Dei; de oratione; de idololatriâ; de præstantiâ et dignitate Judaici populi, terræ promissæ, linguæ Hebraicæ, poesis sacræ; de animâ ejusque potentiis et facultatibus atque immortalitate; de prophetiâ et prophetis; de Kabbalâ et Kabbalisticis mysteriis, aliisque rebus ad Judaicam religionem pertinentibus. »

Cæterùm viri docti, Buxtorfius (in suæ ejus libri editionis præfatione ad lectorem) Basnagius (*Histoire des Juifs*), Bartolocci, aliique, fictitium non tantùm dialogum hunc habent, sed rem universam, atque ità ut negent fuisse umquam regionem regnumque aliquod Cozarorum. Et Bartolocci quidem hæc scribit : « cum nullus, quod sciam, ait, extet boni nominis Geographus,

qui de hâc regione verbum faciat, cum nec ipse R. Benjamin in suo itinerario illius meminerit, existimo esse fictitium quidquid de hâc regione a Rabbinis dicitur, aut ab aliis, qui a Rabbinis hæc figmenta de Cuzaræorum regno mutuati sunt. » Porrò et fictitiam esse epistolam quam ad Cuzaræorum regem dedisset R. Chasdai ben Sprot, regisque ad hunc responsum, ibidem Bartolocci pro certo habet; « quod intelligo, ait, ex hyperbolicis et fabulosis rebus, quæ in ipsis narrantur. » Cf. Bartolocci Biblioth. mag. Rabb. p. 3 pag. 61, sqq.

Ego tamen nollem negare regionem et regnum aliquod Cozaræorum reverâ extitisse, quum scriptorum Arabum testimonia hâc in re extent dissertissima (1).

Pag. 269, v. 2.

כח מהכחות וגו׳. *Respondet:* naturam esse *virtutem* sive *vim* quamdam, ut in disciplinis Philosophicis traditur; verùm nescire se qualis sit illa vis aut virtus, sed, ait, philosophos id noscere procul dubio. Ad quæ alter reponit, philosophos non esse hâc in re ipsis doctiores; et mox addit naturæ definitionem Aristotelis secundum quam natura sit *principium et causa motûs et quietis rerum,* idque *non accidentaliter sed essentialiter.*

(1) Vid. *d'Herbelot*, *Bibliothèque orientale*, *art.* Khozar.

Pag. 271.

ידעיה הפניני. R. Jedajah Happenini (h. e. ut nonnulli interpretantur, *margaritifer*) dictus etiam fuit Ben Abraham Badreshi (בדרשי), a patre suo, qui vocabatur Abraham bar- Isaac Badreshi. Jedajah noster natione Hispanus floruit Barcinone anno Christi 1298, eloquentiâ ac poesi celeberrimus. Cujus operum præcipuum censetur בחינת עולם *examen mundi*, ex quo præsentem locum selegimus. Cf. Bartolocci, Bibl. magn. Rabbin. P. 3, pag. 6 et seqq. et Fr. Delitzsch, *zur Geschichte der Jüdischen Poesie. Leipzig.* 1836, *pag.* 48.

Pag. 271, v. 1.

תבל וגו'. Scholiastes, auctor commentarii ילדי הזמן inscripti (de quo confer quæ suprà diximus), notat ad vocabulum תבל sequentia :

עתה מסיב המחבר את פניו כאלו מדבר עם העולם בכללו, ואומר: אתה עולם הגשמי אחרי שאתה הוא מקור הכליון וההפסד, כי כל הוא נפסד; א"כ איך יהי' לי תקוה ותוחלת לירש נחלה מהבליך, אשר ישאיר לנו אחרית ותקוה. Quorum verborum sensus est : auctorem (Jedajam Happenini) nunc se convertere ad mundum, quasi cùm illo sermonem habiturus, dicereque : quandoquidem tu, o mundus! fons es vanitatis, quî fieri potest

ut quidquam a te speremus quod non sit periturum?

Ibid. v. 2.

מוצא וגו׳. Sensus : tu omnis corruptionis et interitûs origo es; ergo-ne fas est a te sperare etc.

Ibid. v. 3.

כי אתור וגו׳. Sensus : cum in originem tuam inquisivi, ut scirem undè ortus sis etc., hoc reperi : בוניך etc.

Ibid. v. 6.

מצאתי בוניך וגו׳. Ad hæc Scholiastes idem qui suprà notat sequentia :

ואחרי שמצאתי את כל זאת ראיתי שכל ה׳ד דברים (1) אשר הזכרתי שהם סבת היותך הם בעצמם הם סבת הפסדך, כי בוניך (ר״ל: ההיולי אשר הוא יסוד הבנין) היו בעוכריך (2) כי טבעו לפשוט צורה וללבוש צורה אחרת. ועושיך, ר״ל: ה׳ד יסודות שהם החומר הקרוב הם מהרסיך כי ד׳ יסודות

(1) Scholiastes intelligit quatuor elementa, de quibus modò dixerat.

(2) Ad vocabulum בעוכריך Scholiastes alter notat: שבהתגבר יסוד אחד על השני יבא מזה חולי והפסד.

אלו מתנגדים זה לזה מהם ולכן תמיד יתקוממו איש על רעהו וכאשר גבר יד אחת מהם המה מהרסים את בנינך.

וידי מעצביך. ר״ל הגלגלים אשר בתנועותם יתהוו כל הברואים (מעצביך לשון בריאה כמו: ידיך עצבוני) הם הגורמים לך עצם כי הרבה פעמים ומקרים יבואו ע״י תנועת הגלגלים.

ומציביך. שהוא ההרכבה המעמיד (1) אותך הם מחריביך כי כל יסוד יש לו תשוקה לחזור למקורו ולהתפרד החבילה.

h. e. « Postquam verò hæc omnia inveni, intellexi res quatuor illas, quas dixi causam esse tuæ existentiæ, ipsas per sese etiam causam esse corruptionis tuæ; nam *conditores tui,* (h. e. materia, quæ est elementum ædificii sc. humani corporis (2)), ipsi sunt inter eos qui te perturbant (corrumpunt). Nam materiæ hæc natura est, ut exuat formam suam induatque alteram. »

« ועושיך. *Factores tui;* intelligit auctor quatuor elementa, quæ sunt materia proxima; illi (factores tui), ait, sunt מהרסיך, i. e. destructores tui; nam quatuor elementa invicem sibi opponuntur, adeò-que perpetuò sibi adversantur; cùm vero eorum aliquod cæteris prævaluit, destruunt (illi factores tui (עושיך), elementa hæc) ædificium tuum (corpus tuum). »

(1) המעמיד. Cur non המעמידה? (2) היולי est Græcum ὕλη.

« ידי מעצביך. Vult dicere auctor : « orbes (septem planetarum), quorum motu creaturæ omnes generantur (vocabulum מעצביך habet significationem בריאה, ut in hoc Jobi Cap. X, v. 8. ידיך עצבוני *manus tuæ plasmaverunt me*), illi ipsi causant tibi dolorem ; nam multi casus et infortunia accidunt ex (cælestium) orbium motu. »

« ומציביך *et constituentes te* (h. e. emplastratio quæ te constituit) illi ipsi sunt qui te evertunt ; inest enim cuique elemento appetitus redeundi ad statum suum primitivum et sua vincula solvendi. »

Pag. 272, v. 5.

ואיך וגו'. Hæc Scholiastes alter ità *παραφράζει* : ואיך אהיה פתי וסכל ואעשה נפשי שכולה שאקוה לעשות פרי תנובה מאשכלות המרורות שלך?

Ibid. v. 9.

אף כי וגו'. Scholiastes idem : מכ"ש שאני רואה האנשים שאת, העולם! חושק ואוהב אותם להטיב, הם אנשי בליעל בני בלי (1) שם.

(1) Phrasin בני בלי שם Scholiastes, agresti Judæorum Germanicè loquendi genere usus, intra parenthesin, litteris rabbinicis sic reddit : וואש מען וויל איר נאמן ניט גדענקן h. e. *Wos men wil ir namen nit gedenken*, *i. e.* quorum nomina recordari nolumus.

In eumdem locum auctor ילדי הזמן sic scribit : ומכ״ש כאשר אראה שכל האנשים אשר אתה חושק בהם להיות בעזרתם ליתן להם עשירות ומחמדים, רובם הם אנשים אשר אין להם שם בגדולים; ובהיפך אנשים אנשי שם בעלי תורה אתה להם כאויב לדכאם ביסורים ועניות.

Ibid. v. 10.

ראיתיך וגו׳. Auctor ילדי הזמן hæc ità interpretatur: ולא די שאתה חושק באנשים שאינם גדולים, אלא שאתה תבחר באנשים היותר שפלים וגרעים; כי תלקט הקליפות והפרי עצמה שהיא התוך והעיקור תזורק; תאסוף אליך הערב רב ותקרב (1) אליך הרקים; אבל המלאים מתורה וחכמה תרחיק ממך.

Pag. 273. v. 3.

בהשתדלך וגו׳. Scholiastes idem : בזאת אתה אשה שורפת! אתה בעצמך תכריז על נבלתך, במה שאתה משתדל כל היום ברוב רשעתך להסיר המלכים איש ממקומו, ר״ל הצדיקים ובעלי תורה

(1) Pro ותקרב, quod est in meo exemplari, scribendum existimo : ותקריב , in formâ Hiph.

אשר הם לפעמים עשירים אתה מסיר אותם ממעלתם לדכאם בעוני; ותשים תחתיהם אנשים אשר הם שפלים ופחותים יותר מן השפחות, והשפלים שבמשפחות.

Ibid. v. 9.

אתה, אשה הוללה: Scholiastes idem. תאפילי וגו׳ וכסילות! אתה תאפיל ותחשיך את מהלל ותפארת הצדיק המאיר לעולם כמו השחר.

Ibid v. 12.

ומה אחרי: Scholiastes idem. ומה לי ולך וגו׳ שנתברר לי שאתה ראש הנבלות מה לי ולך, למה יהי׳ לי עסק עמך? הרי דרכך לדבר רכות וחנופה לאנשים אשר הם רכי לבב ומאמיני׳ בדבריך, והולכים אחריך כי כל התאות נדמו להם שהם טובי׳ ואחר שבאו במצודתך תשבר עצמותם לדונם ביסורים.

Pag. 174.

ר׳ יצחק אבוהב. R. Isaac Aboab, Hispanus, discipulus R. Isaaci Kanpanton (קנפאנטון), habitavit in regno Castellæ, undè anno Domini 1492 ejectus cum popularibus suis universis, supremum

diem obiit anno 1493, septimo mense post exilium Hispanicum, annos natus sexaginta. Fuit vir inter Hebræos doctus et eruditus, qui inter alia opera Theologici argumenti, quæ recensentur a Bartoloccio et Wolfio infrà citandis, librum scripsit omnigenâ rabbinicâ eruditione repletum, in quo de vitâ Judæorum instituendâ eloquenter, methodicè et doctè pertractat. Ex hoc opere, quod מנורת המאור *Candelabrum luminaris* inscribitur præsentem locum selegimus. Titulus hic: מנורת המאור desumptus est ex Exodi Cap. XXXV, 14, et Num. Cap. IV, 9; hinc, sicut super candelabrum aureum Mosaicum septem lucernæ ardebant (Exod. Cap. XXV, 37), sic et hic liber dispertitus est in septem tractatus seu libros. Vid. Bartolocci Biblioth. magn. Rabbin. P. 3, pag. 871. Wolfii Biblioth. Hebr. Tom. III, pag. 536, sqq.

Pag. 275, v. 1.

ג׳ כתות הן וגו׳. Vel me non momente animadvertisset diligens lector ab Isaaco nostro hìc doceri, dari post hanc vitam statum aliquem *purgatorium*. Quam Synagogæ de purgatorio fidem (quæ tamen non planè eadem est cum doctrinâ Catholicorum (1), de purgatorio) confirmant loca ex Hebræorum scriptis citata a Josepho de Voisin in ob-

(1) Vide *Via della fede mostrata agli Ebrei, in Roma anno* 1683, p. 1096—1105.

servationibus in prooemium *Pugionis fidei* (p. 168, in edit. Lipsianâ A. 1687), ubi vir doctissimus affert ex libro *Chasidim*, num. 234, sequentia (1) verba: תן לי מים ואותו מאכל פלוני ואם לאו לא אמחול לך לא בעולם הזה ולא בעולם הבא. h. e. « Da mihi aquam illumque cibum talem : sin minùs, non condonabo tibi neque in hoc, neque in futuro sæculo (1). »

Porrò in Glossâ Talmudicâ *En Israel* ad tract. *Rosh hasshanah*, Cap. I, legimus : וישׁ שקבלו כבר דינם בגיהנם אפשר שיזכו לחיי העולם הבא h. e. « et sunt qui postquam jam pœnas dederunt in Gehennâ, digni esse possunt vitâ futurâ (æternâ). »

Operæ pretium erit observasse, ea quæ de tribus post vitam præsentem hominum classibus ab Isaaco nostro dicuntur, verbotenùs esse desumpta ex Talmude Tract. ראש השנה Cap. I, ex Gemarâ in Mishnam 2m, pag. י׳, columnâ 2ª, a fine, in edit. Francof., ubi confer etiam glossam marginalem.

(1) Cf. verba Matth. XII, 32. « Qui autem dixerit contrà Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. » Circa quæ verba scribit S. Aug. Lib. XXI, de Civit. Dei, Cap. 24. » Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur, neque in hoc sæculo neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro. »

NOTÆ MISCELLANEÆ.

IN CAP. IX.

TALMUDICA, A. MISHNICA, B. GEMARICA.

—

Pag. 176, v. 1.

Quæ visa sunt de opere Talmudico, pro nostri instituti ratione, dicenda, leguntur præmissa notis miscellaneis in selecta Talmudica, Aramaico (Chaldaico) idiomate conscripta, quæ habentur in Chrestomathiæ nostræ voluminis primi parte posteriore.

מאימתי וגו'. Sequitur hìc hujus loci latina interpretatio Surenhusii, quam nostram ferè fecimus.

« A quando (quo tempore) recitantes *sunt* (recitare fas est) *lectionem* Audi (1), *quatenùs ea recitanda præcipitur vesperi? Respondetur :* indè ab horâ quâ sacerdotes (2) conveniunt ad comedendas primitias usque ad finem vigiliæ primæ. Atque hæc sententia est R. Eliezeris. Sapientes autem dicunt *fas esse recitare lectionem* Audi usque

(1) De quâ confer quæ scripsimus suprà pag. 215.

(2) Sacerdotes illi intelliguntur qui legalem aliquam immunditiam contraxerant, nec vesci poterant primitiis nisi loti et post solis occasum sive ortum stellarum.

ad dimidium *noctis* (mediam noctem). Rabban Gamaliel verò dicit : usque dum adscenderit columna auroræ (1). Accidit aliquando ut filii ejus (Gamalielis) e convivio (post mediam noctem domum) redirent, ipsique dicerent : (adhùc) non recitavimus *lectionem* Audi. Quibus ille respondit: si nondùm adscendit columna auroræ, tenemini ad (eam) recitandam. — Neque hoc dumtaxat (applica ad recitationem lectionis Audi); verùm cujuscumque rei, de quâ dixerunt Sapientes *usque ad mediam noctem*, præcepti adimpletio valet usque dum adscenderit columna auroræ. (Itaque) de adolendis adipibus et membris (2) præcepti (observatio valet) usque dum ascenderit columna auroræ. (At) si ità res se habet, quare Sapientes dixerunt *usque ad mediam noctem?* ut procul arcerent homines a transgressione.

Pag. 278, v. 7.

אין מברכין וגו'. Sensus est : fas non fuisse pronunciare formulam precatoriam super calicem vini antequam eidem admixta esset aqua. — Hinc colligi potest solitos fuisse Judæos vinum bibere aquâ

(1) Columna auroræ, est illa lux quæ in oriente splendet ante solis ortum per horam et quintam ejus partem. Ità apud Surenhusium Maimonides.

(2) Sunt adipes sacrificiorum quos sacerdotes quotidie offerunt; *membra* autem intelliguntur partes sacrificii holocaustici singulis diebus offerendi, ut præceptum est Exod. Cap. XXIX, v 39.

temperatum; quod, quid faciat pro confirmandâ doctrinâ Catholicâ de aquâ miscendâ calici in sacrificio incruento novæ Legis, videant Theologi. Cf. Vol. VI, (p. 330 sqq. ed. Lovan.) *prælectionum Theologicarum, quas in collegio Romano S. J. habebat Jo. Perrone,* vir clarissimus, olim Romæ professor meus æstimatissimus.

Pag. 279, v. 4.

בשני יצריך. Hæc Maimonides (apud Surenhusium) ità explicat: homini in animum suum esse inducendum amorem Dei etiam in tempore transgressionis et afflictionum.

Dissertatio erudita de peccato originali et de יצר הרע *figmento malo* Rabbinorum legitur in Bartoloccii Biblioth. magn. Rabbin. Part. 2, pag. 43 et sqq.

Ibid. v. 8.

שער המזרח. *Porta orientalis;* porta orientalis est ea portarum atrii (templi), quæ etiam vocatur porta Nicanoris, et *sanctum sanctorum* erat versùs occidentem atrii e regione portæ illius. Maimonides.

Pag. 280, v. 2.

בפונדתו — . פונדה est Latinum *funda*, i. e. mar-

supium reticulare. Auctores (1) אור אסתר pro eodem habent פונדה et אפונדה. — Contrà Guisius (2) inter duo hæc vocabula illud ponit discrimen, ut dicat τὸ אפונדה notare Græcum ἐπενδύτης; τὸ פונדה autem significare *fundam*, i. e. marsupium reticulare. Et duplici hâc significatione occurrere τὸ פונדה in Tract. שבת, Cap. X, Mishn. 3, rectissimè ab eo observatum est; quare cùm certò extent duo hæc vocabula פונדה et אפונדה, in citato loco, pro ובפונדתו ופיה למטה בין פונדתו לחלוקו, ut passim editum est, vult legendum: ובפונדתו ופיה למטה בין אפונדתו לחלוקו h. e. si quis efferat quid *fundâ suâ ore inverso*, vel si efferat *inter* ἐπενδύτην καὶ χιτῶνα.

Pag. 280, v. 3.

קפנדריא. Est Latinum *compendiaria* (via), ut rectè vocabulum hoc redditur in אור אסתר, ubi בקפנדריא explicatur: בדרך קצרה שנכנס בשער זה ויצא משער שכנגדו. h. e. « per viam brevem, quâ ingreditur quis portam unam et egreditur ex portâ quæ huic opposita est (non verò muros domûs circumit). » Falluntur autem qui vocabulum

(1) אור אסתר *oder Beleuchtung der im Talmud von Babylon und Jerusalem, in den Targumim und Midraschim vorkommenden fremden besonders Lateinischen Wörter, von Simon und Mardochai Bondi. Deszau*, 1812.

(2) Apud Surenhusium in notis ad ברכות Cap. IX, Mishn. 5.

קפנדריא origine Græcum dicant; nam fuisse qui hoc sentirent, docet auctor lexici ספר הערוך inscripti (ואומרי׳ לשון יוון הוא); sed Latino fonte fluere rectè observavit auctor מוסף הערוך *accessiones* (Lexici) *Aruch* (R. Benjamin Musaphja), cùm ad vocabulum קפנדריא scribit: פי׳ בלשון רומי: שביל המקצר את הדרך. —

Ibid. v. 8.

כיצד וגו׳. Paschalem agnum Judæorum typum fuisse Christi, pro salvando humano genere mortem oppetituri, divinitùs edocti (Jo. Cap. XIX, v. 36) novimus. Ad cujus rei confirmationem facit et singularis ille Paschalem agnum assandi ritus, quem Synagogæ traditio nobis conservavit. Nempè non licebat agnum (typum scil. illius qui in ligno crucis esset moriturus), assare in veru ferreo, neque in craticulâ ferreâ, sed assandus erat in veru ligneo transfigendo per medium os agni usque ad anum, atque ità suspensus erectusque in clibano, subjecto igne, torrendus. Atque hæc constant partim ex Mishnâ כיצד וגו׳, partim ex verbis Maimonidis *Hilch. Korban Pesach*, c. 8. (apud Edzardum (1)), ubi scribit: כיצד צולין אותו? תוכבו מתוך פיו עד בית נקובתו בשפוד של עץ ותולהו לתוך התנור והאש

(1) Tractatûs Talmudici *Avoda Sara* sive de Idololatriâ Cap. II illustratum a G. E. Edzardo. Hamburgi, 1710, pag. 234.

למטה. Porrò agnum in clibano fuisse *suspensum*, disertè asseritur in Glossâ marginali ad Tract. Pesachim (Cap. VI, ad verba כיצד צלין, pag. עד, columnâ 1ª, in edit. suprà laudatâ) ubi leguntur hæc: תוכבו דרך פיו לפי שנותן הגס שבשפוד למטה כדי שלא יפול הפסח. h. e. *transfigit ipsum* (agnum) *per os, atque itâ ut pars crassior veru sit inferior, ne agnus decidat.* Notavit Edzardus (ibid.) S. Justinum Martyrem typum agni Paschalis urgere in *dialogo cum Tryphone Judæo, pag.* 200, *edit. Commel.*, his verbis: καὶ τὸ κελευσθὲν πρόβατον ἐκεῖνο ὀπτὸν ὅλον γίνεσθαι, τοῦ πάθους τοῦ σταυροῦ δι' οὗ πάσχειν ἔμελλεν ὁ Χριστὸς, σύμβολον ἦν. Τὸ γὰρ ὀπτώμενον πρόβατον, σχηματιζόμενον ὁμόιως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ ὀπτᾶται. Εἷς γὰρ ὄρθιος ὀβελίσκος διαπερονᾶται ἀπὸ τῶν κατωτάτω μερῶν μέχρι τῆς κεφαλῆς, καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον, ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες τοῦ προβάτου. h. e. « Et agnus ille, de quo ut assus totus fieret præceptum est, supplicii crucis, quod subiturus erat Christus, symbolum et nota fuit. Agnus namque assus, in figuram cruci similem conformatus, ad ignem torretur. Nam veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum perfigitur; et aliud rursùm secundum scapulas, ad quod suspenduntur manus agni. » — Edzardus (loc. laud.) varios alios ritus Mosaicos notavit, qui S. Crucis typum gesserunt. Cf. etiam *exercitationem historico-antiquariam de cruce apud Judæos, Christianos et gentes, signo salutis, conscriptam a C. L. Schlichter*

Hist. S. et Antiqq. P. O. Halæ Magdeburgicæ 1733. 4°.

Pag. 282, v. 1.

האומר וכו׳. Sequitur hìc hujus pericopæ Latina interpretatio Surenhusii, mutatis tamen paucis.

« Quicumque dixerit : *Korban, holocaustum, mincha, peccatum, eucharisticum* (1), *pacificum esto, quodcumque ego comedero tecum*, obligatus est; R. Juda tamen liberum pronunciat. — (Si dixerit) : *hak-Korban, ke-Korban, Korban*, obligatus est (tenetur voto suo). (Si verò dixerit) : *le-Korban, non comedam tecum*, R. Meir tantùm eum obligat. Si quis dixerit proximo suo : *Konem* (q. d. munus) *erit os meum ubi locutum fuerit tecum, manus mea, ubi laboraverit tecum; pes meus, ubi ambulaverit tecum*, obligatus est. »

« (Si quis dixerit : esto) *munus, quidquid commodi percepturus sum ab incircumcisis*, tum prohibiti ipsi sunt præputiati Israelis, liciti verò circumcisi ex gentilibus, quia præputium non legitur nisi de gentibus, juxta Scripturæ dictum : « nam omnes gentes sunt præputiatæ, sed tota domus Israel præputiata est corde; » item « et erit Philistæus, præputiatus hic; » item « ne exultent filiæ Philistæorum, ne lætentur filiæ præputiatorum. »

(1) תודה sacrificium laudis.

« (Si quis dixerit : esto munus omne illud) *ex quo tu a me commodum percipere possis usque ad Pascha, si abieris in domum patris tui usque ad festum tabernaculorum*, tùm si abierit ante Pascha, prohibita est a commodo, quod percipere posset ab eo usque ad Pascha. (Sin autem) post Pascha, (tùm egit) contra (præceptum Num. XXX, v. 3) *non profanabit* (verbum suum). »

Pag. 282, v. 1.

קרבן עולה וכו׳. Notant Surenhusius (1) et Lightfoot (2) vota in duo genera fuisse distincta, scil. *α*. in נדרי הקדש *vota sancta*, vel *consecrationis*, cùm aliquid devoveretur in usus sacros, altaris scilicet aut templi; veluti cùm quis voto hoc vel illud dicaret in sacrificium, vel ad coemendum lignum, salem, vinum etc., pro altari, vel לבדק דבית *in reparationem templi* etc. et *β*. נדרי אסר *vota prohibitionis*, vel *obligationis*, cùm se quis voto obstringeret ad non faciendum hoc vel illud quod non erat prohibitum, veluti se hoc vel illud non comesturum, non induturum etc. De posteriore autem hoc votorum genere, docente Surenhusio, hìc sermo est.

Porrò observa vocabula קרבן, עולה et cætera

(1) In notis ad מסכת נדרים Cap. I, Mishn. 1.

(2) In horis hebraicis in Evangelii Matthæi Cap. XV, v. 5.

quæ sequuntur, singula habenda esse veluti protasim formularum in votis concipiendis, ità ut v. g. formula עולה שאני אוכל לך, æquivaleat huic: כל דבר שאוכל לך עשיתי אותו על עצמי עולה, h. e. *Quidquid ego voluero comedere apud te, id feci ego mihi ipsi quasi holocaustum* (1). Atque hinc, puto, perspicuus fit sensus verborum Marci Cap. VII, v. 5: *Korban quodcumque ex me tibi profuerit;* sc. sit uti devotum Deo et sacratum (adeòque ab alius cujusvis usu remotum) quodcumque quo ex bonis meis juvari posses. Ergò non sat rectè in suâ paraphrasi Gallicâ hunc locum Carrierius reddidit ità: *Corban, c'est-à-dire tout don que je fais à Dieu de mon bien vous sera utile.*

Quod Judæi olim docuerint emissum a filio votum, quo parentes excludebantur ab omni utilitate a filiis capiendâ, obligationem inducere nec rescindi posse, ex Tract. *Nedarim* c. 5, Mishn. 6, clarissimè constare notat Edzardus (loc. laud.).

Ibid. v. 2.

מתיר. Causa cur præmissas formulas pronunciantem a religione voti liberos docuerit R. Jehuda, est, ut Raschi dicit: דלא אמר כעולה כחטאת h. e. *quia non dixit* (cum Caph similitudinis) כעולה, כחטאת.

(1) Ita formulam interpretatur Maimonides; in Cod. *Nedarim* C. I, Mishn. 4. Rashi interpretatur simpliciùs ità: יהא עולה וכו׳ *sit holocaustum* etc.

Ibid. v. 4.

קונם. קונם פי וגו' tantumdem valet ac קרבן, ut docet Aquinas in suo lexico a. h. v. ubi dicit: קונם לשון כנוי לקרבן *h. e.* קונם synonymum est τῳ קרבן. Jam verò ex *Nedarim* Cap. I, Mishn. 1, *votorum synonyma quæcumque sunt sicut ipsa vota*, כל כנויי נדרים כנדרים. Votum קונם פי וכו', illud erat quo quis sibi interdicebat colloquio cum amico. Atque ex hoc cæteræ quæ sequuntur votorum formulæ faciles erunt explicatu.

Pag. 283, v. 4.

שאת וכו'. Supple ante שאת, ex Mishnâ 7ª, verba hæc: האומר לאשתו קונם, *si quis dicit uxori suæ* Konem.

Pag. 285, v. 11.

ואם וכו'. Vel ex his patet ne formam quidem judiciariam observatam fuisse in sententiâ iniquissimâ, quâ Synedrium Christum morti addixit. — Juvabit conferre hìc quæ contra *Salvador*, de neglectâ formâ judiciariâ in judicio Christi, scripsit Jo. Perrone in suarum prælectionum Theologicarum Vol. IV, pag. 119 et sqq., edit. Lovan.

Pag. 291.

כל הצלמים אסורין וכו'. Sensus: *simulacra quævis*

prohibita sunt (h. e. nullum ex iis commodum, qualecumque tandem, percipere licet), *quia* (minimùm) *semel in anno coluntur*. Atque hæc est sententia R. Meir. At Sapientes sentiunt tùm tantummodo esse prohibita, si baculum, avem aut pilam manu tenent, quia, ut interpretatur Bartenora, talia certò adoranda sunt, quoniam honoris ergo tales res ipsorum manibus sunt impositæ.

Pag. 292, v. 3.

המוצא שברי וכו׳. Sensus: si quis invenisset fragmenta aliqua simulacrorum, liceret ipsi aliquam ex illis capere utilitatem, v. g. succendere ignem; sed tamen figuram manûs aut pedis (puta, quæ non esset pars imaginis confractæ, sed datâ operâ confecta) si quis invenisset, non liceret ipsi etc.

Ibid. v. 8.

שעל המכובדין וכו׳. Sensus: R. Simeon filius Gamalielis putat, si prædictæ figuræ, scil. solis[1], lunæ etc., habeantur *super vasa pretiosiora* (ut sunt monilia, inaures, et similia), hæc eo casu esse prohibita; (nam ea in honorem Deastrorum confecta esse verisimile est, ut notat hìc Surenhusius); si verò *super viliora*, puta ollas, et id genus alia, tum non prohiberi ex istiusmodi rebus utilitatem aliquam capere.

Pag. 293, v. 1.

ומפני מה אשירה אסורה. Dictum fuit paulò ante non esse prohibitum utilitatem aliquam capere ex montibus et collibus, in quibus Idololatræ cultum suum peragerent, quia montes et colles ipsi nequaquam ab iisdem tamquam Dii coluntur. « Si ità, quare ergo, *sic hic objicitur,* non licet utilitatem capere ex אשירה h. e. luco sacro; *et respondetur :* ideò id prohiberi *propterea quod est in eo apprehensio manûum hominum;* quæcumque autem res, in quam est apprehensio manûum hominum (jus apprehensionis, possessionis, usucapionis, jure plantationis), prohibita est (nec licet indè aliquam capere utilitatem (1). »

Quoniam hìc, de *luco sacro* agendo, in vocabulum אשירה incidimus, nolo dissimulare me putare Gesenium, quod pace tanti viri dictum sit, versari in errore dum negat (2) vocabulum אֲשֵׁרָה vel אֲשֵׁירָה *ullibi* in S. Scripturâ notare *lucum* (sacrum), hancque ejus vocabuli signifi-

(1) Surenhusius verba מפני מה — אסור. reddit : « Quare igitur luci sacri usus probibitus est? Nimirum quia is paratus est manibus humanis; at quidquid manibus humanis in honorem Deastrorum paratum est, eo frui non conceditur. » Nos secuti sumus ejusdem pericopæ interpretationem Buxtorfii (in Lex. maj. ad voc. תפס).

(2) Vid. Guilielmi Gesenii veteris Testamenti thesaurum philologicum criticum. Lipsiæ 1829, ad vocabulum אשרה; quod vocabulum scribit notare *fortunam* spec. *deam Fortunam, Astarten, ejusque simulacrum.*

cationem, quam expressit etiam Vulgata, affirmat *plurimorum locorum contextui esse planè ineptam et aliquoties tantùm non absurdam.* —

Contra quam sententiam appello traditionem (nam maximi ponderis ea est in rebus Philologicis), veterum, ex Hebræis, interpretum et lexicographorum, qui uno ore testantur vocabulum אשרה seu אשירה notare *lucum* (sacrum).

Probandi exordium duco a Samuele f. Abrahæ f. Samuelis Urbinate, qui floruit sæc. XV (1). Is in suo opere אהל מועד inscripto, ad vocabulum עץ, ubi inter hujus vocabuli synonyma etiam אשרה recenset, ità scribit : ותאמר אשרה וְאֶת אֲשֵׁרָיו תִּכְרֹתוּן (שמות ל״ד); וַאֲשֵׁרֵיהֶם תִּשְׂרְפוּן בָּאֵשׁ (דברים י״ג) אמרו שהוא שם כלל לכל אילן שעובדין אותו או נוטעים אותו לשם ע״ז. h. e. « Dicitur etiam אשרה. v. g. *lucos ejus succides* (Exod. Cap. XXXIV); *lucos eorum igne combureti*s (Deuter. Cap. XII); docemur vocabulum אשרה esse nomen collectivum, quod denotat omnem arborem,

(1) Patet hoc ex ejus operis epilogo, ubi dicitur : ונשלם כל מה שהגבלנו בזאת המלאכה בשנת ר״ם ע״ל כ״ל גוי״ם ה׳. quæ verba, indicatoria anni quo finem suo labori imposuit Urbinas noster, desumpta sunt ex Ps. 113, v. 4. — Obiter hìc noto Gesenium videri Salomonem hunc Urbinatem ejusque אהל מועד non cognovisse, cùm scripsit opus cui titulus : *Geschichte der Hebraïschen Sprache und Schrift;* nam ejus operis pag. 100, ubi de scriptoribus agit, qui de Synonymis tractarunt, auctorem nostrum non meminit.

quæ aut ipsa colitur, aut plantata est in honorem alicujus idoli. »

Misso Salomone Urbinate, in medium nunc produco Abarbanelem sæc. XV scriptorem celeberrimum. Is ad verba : ואת האשירה אשר עליו (Judic. Cap. VI, v. 25) notat (1) : והוא האילן אשר אליו h. e. האשירה *sunt arbores* (nemus) *quæ circum illud* (altare) sunt. — Idem mox verba v. 26 : ובעצי השארה interpretatur : ומן המוקצה לע״ז h. e. *ex eo quod destinatum erat cultui idololatrico*, scil. ex succiso nemore componere debebat Gedeon struem lignorum, super quam imponeret holocaustum offerendum.

Abarbanelem excipiat R. Levi ben Gersom (ר׳ לוי בן גרשום) vulgò dictus *Ralbag* (ר״לבג), qui floruit sæc. XIV. Is ergò in principio commentarii sui in Parascham ראה (pag. ריז, columnâ 2ª, in editione Bombergianâ editâ Venetiis anno : (ש״ז לאלף הששי) hæc scribit : ומזה המקום למדנו שהע״ז שהוא תחת עץ רענן לא נחוייב לאבד כי אם הע״ז לא העץ ההוא אחר שאין בו תפיסת יד אדם.... אך אם יש בו תפיסת יד אדם כגון שנטעו לע״ז יחוייב לאבדו וזו היא אשרה שחייבה תורה לשרפה. h. e. « Ex quo loco discimus, quod spectat cultum idololatricum, qui exercetur sub viridi

(1) Vide pag. ג, columnâ 1ª, edit. Lipsiensis, A. 1686.

arbore, nos non teneri destruere nisi cultum idolatricum, non verò illam arborem, quandoquidem arbor illa non datâ operâ (in cultum sc. idololatricum eo in loco) ab hominibus posita est, quemadmodum arbores plantare solent in cultum idololatricum, quas destruere tenemur; atque hæ sunt אשרה ad quam succendendam Lex nos obligat. »

Idem paulò post ad verba: וַאֲשֵׁרֵיהֶם תִּשְׂרְפוּן בָּאֵשׁ (Deuteron Cap. XII, v. 3) iterum in eamdem sententiam sic loquitur: כבר בארנו שזה יהיה באילן שנטעו תחלה לע"ז. h. e. « Jam (suprà) explicavimus τὸ אשיריהם intelligendum esse de iis arboribus quæ a principio idololatrici cultûs causâ essent plantatæ. »

Porrò idem auctor in principio commentationis suæ in Parasham שופטים ad verba: לֹא־תִטַּע לְךָ אֲשֵׁרָה כָּל עֵץ: hæc habet: הזהיר בזה מליטע אשרה אי זה אילן שיהיה אצל מזבח השם יתעלה אף על פי שלא יכוון בה לעבודה זרה לפי שזה היה דרך עובדי עבודה זרה לנטוע אילן אצל מזבחותיהם להתקבץ שם העם ולפי שהזהיר על נטיעת אשרה אפילו לעבודת השם יתעלה הנה הדברים קל וחומר שהוזהרנו מליטע אשרה לעבודה זרה. h. e. Cavet hoc loco ut ne plantetur אשרה quæcumque tandem, inquam, arbor esset, juxta

altare Dei, exaltetur, etiamsi non habeatur intentio ope istius arboris cultum idololatricum exercendi. (Ideò autem hoc prohibetur) quia idololatrarum mos erat plantandi arbores juxta altaria, ut eò populus se congregaret. Quia verò S. Scriptura prohibet plantationem אשרה, etiamsi hæc fieret in cultum Dei, exaltetur, ecce per verba hæc (prohibitionis) a fortiori prohibemur plantare אשרה in cultum idololatricum. »

Venio nunc ad Rashium sæc. XII auctorem, qui in verba : וַאֲשֵׁרֵיהֶם תְּגַדֵּעוּן (Deuteron. C. VII, 5) hæc notat (1) : ואשריהם. אילנות שעובדין אותן h. e. « ואשריהם sunt arbores, quibus divinus cultus exhibetur. » Idem auctor ad verba : וַאֲשֵׁרֵיהֶם תִּשְׂרְפוּן בָּאֵשׁ (Deuter. Cap. XII, v. 3) quid sit אשרה explicat dicendo : אשרה אילן הנעבד h. e. « notat אשרה arborem, cui cultus divinus exhibetur. »

Sequitur Rashii contemporaneus Aben Ezra, qui cum cæteris circa significationem vocabuli אשרה in unam sententiam conspirat.

Is ergo ad eumdem Deut. locum, notat : ואשריהם הם עצים. h. e. « ואשריהם, i. e. *arbores.* » Ità pariter scribit in suo in *Exodum* commentario הקצר dictus, qui in pluteis Bibliothecarum absconditus latebat, nunc verò ante paucos hos menses in lu-

(1) Utor textu Rashiano qui legitur in Bibliis magnis Rabbinicis ex primâ editione Venetianâ.

cem protractus est industriâ *Isaaci Samuelis Reggio* (1); ibi ergo ad vocabulum אשריו (וְאֶת־אֲשֵׁרָיו תְּכָרֵתוּן Exod. Cap. XXXIV, v. 13) notat : עצים הם h. e. « *vocabulo* אשרה arbores denotantur. »

Sæculo XII nobis occurrit Moses Maimonides qui itidem vocabulum אשרה interpretatus est אילן *arborem*. En testimonium ex ejus הלכות עבודת כוכבים ומזלות וחקות הגוים *constitutiones de cultu stellarum ac plenetarum et institutis gentium*, Cap. VI, a fine, ubi hæc scribit : הנוטע אילן אצל המזבח או בכל העזרה בן אילן סרק בין אילן מאכל אע״פ שעשאו לנוי למקדש וליופי הרי זה לוקה שנאמר לא תטע לך אשרה כל עץ אצל מזבח ה׳ אלהיך מפני שהיה זה דרך עכ״ומ נוטעין אילנות לצד מזבח שלה (2) כדי שיקבצו שם העם. h. e. « Qui arborem juxta aram plantat vel in atrio, sive arbor ea sterilis, seu frugifera fuerit, et quamvis id fecerit, quo templum ornatius pul-

(1) באור על ספר שמות הנקרא הקצר להראב״ע; נעתק מכתב יד נוסן הבא מעיר תונס (Tunis) והובא לבית הדפוס על ידי הקטן יש״ר. פראג שנת ת״ר לפ״ק (Prag. 1840).

Nota, dici hunc commentarium הקצר *brevior*, ut distinguatur ab altero commentario *diffusiore* (הארוך), quem in eumdem librum Exodi exaravit Aben Ezra.

(2) שלה Ità mendosè est in editione Vossianâ, quam secuti sumus; itaque legito = שלהם vel שלה׳.

chriusque redderet, nihilominus plectendus est; quia dicitur : *ne plantes lucum qualiscumque arboris juxta aram Domini Dei tui.* In causâ est, quod mos ille idololatris esset, plantare arbores secundum altare suum, ubi populus congregaretur.» *Ex interpretatione Vossii.*

Idem Maimonides ejusdem tractatûs Cap. VII, hæc habet : האשרה בין שהיתה נעבדת בין שהיתה עבודת כו״ם מונחת תחתיה אסור לישב בצל קומתו ומותר לישב בצל השריגים והעלים שלה. ואם יש לו דרך אחרת אסור לו לעבור תחתיה ואם אין שם דרך אחרת עובר תחתיה כשהוא רץ. h. e. « si vel arbor (אשרה) ipsa culta fuerit, vel positum sub eâ idolum; in umbrâ trunci ejus considere prohibemur; at sub umbrâ ramorum et foliorum licet. Si via sit alia transire sub eâ nefas; sin alia desit, cursim sub eâ transeundum. » *Ex interpretatione ejusdem.* Confer porrò, si placet, quæ scripsit Maimonides ejusdem tractatûs Cap. VIII, 7 et 20.

Porrò auctores Talmudicos vocabulum אשירה interpretatos esse *arborem* sive *lucum* sacrum, probant locus Mishnicus a nobis in hujus operis vol. I, pag. 293 et sq. citatus, et Gemara in Mishnam : הנכרים העובדים וכו׳; vid. tract. עובדת כוכבים, Cap. III, pag. מה, columnâ 2ª in edit. Francofurtiensi.

Scriptoribus hùcusque citatis consentiunt auctores

Paraphrasium Chaldaicarum; nam, etsi vocem Hebraicam retineant, cùm utriusque idiomatis vocabulum esset, tamen, spectatâ obviâ significatione verborum Chaldaicorum, quibuscum passim אשרה, אשרתא occurrit, dubitari nequit quin Paraphrastæ eo vocabulo *arborem* (opacam, lucum) intellexerint.

In Græcis autem interpretationibus, septuagintavirali, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis vocabulum אשרה passim itidem redditur ἄλσος, ἀλσων, αλσωμα, δενδρον, περιβωμιον (*lucum circa aram*).

Porrò versiones Samaritana et Syriaca vocabulum אשרה, itidem *arborem*, *arbores* reddunt. Nam Samaritana (Deuter. C. XVI, v. 21) ità reddit (litteris hebraicis verba Samaritana transcribo): לא תצב לך אטלו כל אילן; ubi אטלו, quod Hebraico אשל respondet, *arborem* notare extra dubium est. Cf. etiam Exod. 34, 13. Deut. 7, 5 et 12, 3. Manifestum pariter est Syrum τὸ אשרה eodem modo intellexisse; nam vertit ità: לא תצוב לך שתלתו דכל אילן; ubi vocabulum שתלתו *plantationem*, *lucum* significare quis neget?

In tantâ ergo nube testium locupletissimorum de tribuendâ *arboris* sive *luci* significatione vocabulo אשרה, accedere neutiquam posse videmur sententiæ Gesenii, qui opinatur eam significationem huic vocabulo in universâ S. Scripturâ *nullibi* esse tribuendam, adeòque *prorsùs* eliminandam. Fate-

mur tamen alicubi vocabulum אשרה Deam aliquam aut ejus simulacrum notare, ut Judic. Cap. III, v. 7, ubi et Vulgata האשרות interpretatur *Astaroth*. Quî vero fiat ut idem vocabulum et *arborem, lucum* significet et *Deam* aliquam aut ejus *simulacrum* notet, ejus indaginis est, ut hic prætermitti posse videatur.

Cæterùm, auctoritate et traditione quæstionem tractasse sat habens, mitto cætera argumenta, quæ in nostræ sententiæ confirmationem possent adduci.

Pag. 293, v. 14.

שלש וגו'. « Tres, ait Mishna, arborem sacrarum (אשרות) sunt differentiæ. Arbor, quæ sui initio plantata fuit in honorem idoli, censetur prohibita. Quod si in arbore pridem plantatâ, idolum quis statuat, atque illud deinde rursùs removeat, arbore uti licebit. » *Ex interpretatione Surenhusii*.

Pag. 294, v. 1.

איזה אשרה וגו'. « Quænam dicitur sacra arbor? omnis arbor sub quâ constitutum est idolum. R. Simeon dicit esse omnem arborem quæ colitur. Accidit aliquando in Sidone, ut arbor aliqua impensâ coleretur ceremoniâ. Erat sub eâ acervus; ait itaque illis R. Simeon, scrutamini acervum hunc; quod cum fecissent, invenerunt ibi simulacrum

Idoli. Tum dixit R. Simeon, quoniam Idolum hoc præcipuè ab iis colitur, arboris usus vobis concedi potest. » *Ex interpretatione ejusdem.*

Ibid. v. 10.

לא בימות החמה. « Nimirum, ait Surenhusius, hiberno tempore, quo olera opus habent calore solis, nullam ex arbore accipiunt utilitatem; sed verò tempore æstivo, quia arbor solis æstus prohibet, hinc commodum aliquod in olera redundaret; at nefas est ex re idololatricâ percipere utilitatem. »

Pag. 296, v. 17.

לא היה שובר וגו'. Docet hæc Mishna agni, in juge sacrificium manè et vesperè oblati, non fuisse fracta crura; quod animadvertant velim qui typologiæ operam dant.

Pag. 297, v. 1.

תנו וגו'. Subjiciam hìc pericopæ hujus Gemaricæ latinam interpretationem, sed circumlocutione utar, quo ad nostrum disputandi modum Talmudica hæc disceptatio, quoad ejus fieri potest, reducatur.

« Docuerunt Rabbini, quatuor vigiliis constare noctem; verba hæc sunt Rabbi (Jehudæ sancti?). Contrà R. Nathan constare dicit tribus. Sed quam

rationem affert R. Nathan ut hoc dicat? rationem indè sumit quòd scriptum est : « ingressusque est Gedeon et centum viri qui erant cum eo extrema castra incipiente vigiliâ media; » atqui traditum est, non dici rem aliquam *mediam* nisi sit unum quid quod eam præcedat et unum quod sequatur. Quonam ergo modo Rabbi (Jehuda sanctus) interpretatur vocabulum תיכונה (media) in verbis Judic. Cap. VII, v. 19, suprà laudatis? Hic vocabulum תיכונה ità interpretatur ut dicat eodem significari *alterutram* ex duabus vigiliis *mediis*. Sed ad hæc R. Nathan reponit : num scriptum est, *media ex mediis* (תיכונה שבתיכונות)? nequaquam, verùm scriptum est absolutè : *media* (תיכונה). Ast quæ ergo ratio est cur Rabbi (Jehuda sanctus) dixerit quatuor vigiliis constare noctem? dixit R. Zerika ex traditione R. Ami, qui id habebat ex ore Josue ben Levi, dixisse Rabbi (Jehudam sanctum) : uno Scripturæ loco dicitur, *mediâ nocte surgebam ad laudandum te ob justa tua judicia*, et alio loco dicitur : *præveniunt oculi mei vigilias*; hæc autem duo loca quomodo concilies? scilicet admittendo noctem constare quatuor vigilis. — Nota R. Nathanem, in interpretando duo illa loca (Ps. 119) præmissa, non dissentire a R. Josue; nam traditione ex Mishnâ docemur hæc : R. Josue dixit (1) : usque ad horam tertiam præterlapsam

(1) Vide tract. ברכות Cap. I. Mishn. 2 et cf. ea quæ in hunc locum notant Maimonides et Bartenora (apud Surenhusium).

fas est recitare lectionem Audi, quatenùs ea præcipitur recitanda manè; nam ità solent etc. »

Pag. 299, v. 3.

בת קול a Rabbinis definitur certa species divinorum oraculorum, seu inferior quidam revelationis modus, qui successisset in locum prophetiæ et oraculi Urim et Thummim, tempore templi secundi, quando Spiritus S. præsentia et Prophetia deficiebat. De בת קול confer si placet observationes du Voisin in proœmium pugionis fidei, pag. 124 et sqq.; et Raymundum Martini in pugionis fidei Parte 2ª, Cap. IV; porrò Henrici Othonis Lexicon rabbinico-philologicum, *a. v. Bathkol.* Erudita extat dissertatio *de filiâ vocis* (בת קול) *nefandâ divinæ æmulâ,* præside Joh. Andr. Danzio defensa A° 1716 ab auctore Frid. Ludov. Munstero. Jenæ, typis Helleri. »

Ibid. v. 7.

תניא וכו'. Caput hoc continet varias Rabbinorum traditiones de tempore quo venturus esset Messias, et de temporum circumstantiis adventum ejus concomitantibus aut proximè præcedentibus; agitur etiam in eodem de nomine quo vocetur Messias.

Pag. 300, v. 13.

תנא וגו'. « Traditio Scholæ Eliæ est, duraturum mundum sex mille annos; bis mille annis mundus erit תוהו (absque lege scriptâ?); bis mille annis erit Lex; et bis mille annis erunt dies Messiæ; verùm ex his ob peccata nostra jam elapsi sunt quotquot sunt elapsi. »

Ibid v. 17.

אמר רב וכו'. Fatetur jam præteriisse tempus, quo, secundum Prophetarum vaticinia, venturus esset Messias; venturum autem, ait, quando Israelitæ pœnitentiam egerint, et virtutibus eminuerint. —Vide mihi, lector, quam hæc pulchrè cohæreant cum præcedentibus, ubi, ex traditione R. Jehuda, dicitur quo tempore Messias venturus est : ״יראי חטא ימאסו h. e. *spernentur qui metuunt peccare.*

Pag. 302, v. 9.

תנו וכו'. « Rabbini docuerunt : si Judæo cuidam in viâ socius itineris obtingat gentilis, adjunget eum sibi ad latus dextrum (*ut si forte gentilis violentam manum ipsi velit inferre, queat malum illud dextrâ suâ citiùs avertere*); R. Ismael filius R. Jochananis, nepos Berukæ, dicit : si gentilis sit gladio cinctus, adjunget eum sibi ad latus dextrum

(*ut manus Judæi dextra propior sit gladiò gentilis, ad sinistrum latus ejus pendenti, queatque adeò, si conetur illum stringere, dextrâ suâ id impedire*); si verò baculum gestet gentilis, adjunget eum sibi ad latus sinistrum (*ut propior sit manui dextræ gentilis, quâ is baculum gestat, citiùsque possit sinistrâ suâ ictum antevertere*). Quod si ascendunt (*in montem*), aut descendant (*ex eo*), non erit Judæus in depressiori et gentilis in superiori parte, sed Judæus in superiori, gentilis autem in depressiori loco, (*ità tamen, ut in ascendendo gentilis non sequatur Judæum a tergo, sed ad dextrum latus*); nec incurvabit se coram illo (*etiamsi ambo versentur in planitie*), ne fortè cranium ipsi confringat. Si denique interroget ipsum, quo tendat, indicabit ipsi longius iter (*ut persuadeatur Ethnicus, adhuc crastino die posse illum commodiori occasione a se trucidari, si utique hodie id negligatur*), quemadmodum fecit Jacobus Pater noster Esavo impio, dicens (Gen. Cap. XXXIII, 14): *donec ego venero ad Dominum meum in Seir;* subjungitur autem : *Jacobus profectus est Succothas*. Extat hujus generis exemplum in discipulis R. Akibæ, qui iter fecerunt etc. » *Ex interpretatione Edzardi.*

Pag. 304, v. 1.

מאי ריפוי וכו'. « Quid intelligitur per medici-

nam *nummorum* et medicinam *animarum?* num fortè dicendum, medicinam nummorum vocari eam, quæ fit pro mercede (*eamque ideò concedi quia gentili est metuenda jactura mercedis illius, si occidat Judæum*); medicinam autem animarum, quæ fit gratis (*hoc est, spontaneo ductu animi*). Verùm sic dicendum fuisset disertiùs : licet ab illis admittere medicinam pro mercede (*quia tum gentilis non insidiatur vitæ Judæi, ne perdat mercedem suam*), at non gratis; quare medicina nummorum videtur appellari, ubi nullum subest necis periculum (*tantùm autem metuendum est, ne gentilis augeat Judæo dolores, ut emungat ipsum nummis*); medicina autem animarum ubi subest periculum vitæ. Atqui tamen R. Jehuda dicit, ne quidem in levi istiusmodi dolore, qualis est ex incisione scalpelli chirurgici admittendam esse curationem ab illis. Quapropter erit affirmandum, medicinam nummorum dici curationem bestiæ alicujus (*nummis acquisitæ, aliarumve rerum ad Judæum spectantium, quæ ære comparari possunt*), medicinam autem animarum dici curationem ipsius Judæi ægrotantis. Atque hoc est quod paullò ante pronunciavit Rav Jehuda : ne quidem in levi istiusmodi dolore, qualis est ex incisione scalpelli chirurgici, admittendam esse ab illis curationem (*nimirùm, quia hæc medicina quæritur pro ipso Judæo, utut in dolore levissimo*).

Raf Chasda refert, dixisse Mar Ukbam (licere admittere medicinam a gentili, si illam ipse non præparet), sed tantummodo indicet, quale pharmacum (*in hoc vel illo morbo*) bonum sit aut malum (*conducibile aut noxium*). » *Ex interpretatione ejusdem.*

NOTÆ MISCELLANEÆ.

IN CAP. X.

POETÆ.

—

Quæ de recentiori Hebræorum poesi, pro nostri instituti ratione, visa sunt notanda, hæc tu legesis, lector, in notis miscellaneis ad selecta Poetica Aramaico (Chaldaico) idiomate conscripta, quæ habentur in Chrestomathiæ nostræ Vol. I, Part. 2ª.

Pag. 305.

שלמה בן גבירול. De Salomone ben Gabirol, confer quæ scripsimus in principio notarum miscellanearum ad Cap. VIII. Quod sequitur canticum comprehendit tredecim fidei Judaicæ capita, ut ea sæc. XII a Maimonide fuêre recensita.

Pag. 309, v. 7.

אליך וכו׳. Carmen hoc artificiosissimum ignoti, mihi certè, auctoris, desumptum est ex Machzor de diebus Kippourim. Subjicimus hìc latinam ejus

interpretationem, quæ legitur in Grammaticâ Hebraicâ et Chaldaicâ P. Guarinii, Tom. II, pag. 375.

« Ad te suspensi sunt oculi nostri,
Domine, Dominus noster.
O! benedicte in congregationibus populi tui,
quam admirabile est nomen tuum!
Libera nos secundò ab affligentibus nos,
Domine, Dominus noster.
Qui habitas in cœlis altitudinis tuæ,
quam admirabile est nomen tuum!
Ecce te laudamus,
Domine, Dominus noster.
Et quis est sicut populus exaltantium nomen tuum?
quam admirabile est nomen tuum!
Recordare fœderis fortium nostrum (*Patriarcharum*),
Domine, Dominus noster.
Vivus (*es*), et non est alius tecum,
quam admirabile est nomen tuum!
O pure, propter nomen tuum posside nos,
Domine, Dominus noster.
O unice, qui judicas mundum,
quam admirabile est nomen tuum!
Virtus tua magnificetur, rex noster,
Domine, Dominus noster.
Cor nostrum (*est*) ad exaltandum te,
quam admirabile est nomen tuum!
Ex Ægypto in brachio (*virtute*) liberasti nos,
Domine, Dominus noster.

Laudamus te sicut fortes altitudinis tuæ (*angeli tui*),
quam admirabile est nomen tuum!
Juva nos et sustenta nos,
Domine, Dominus noster.
Audi nos et confitebimur nomini tuo,
quam admirabile est nomen tuum!
Redime nos et miserere nostri,
Domine, Dominus noster.
Petra mundi est nomen tuum,
quam admirabile est nomen tuum!
Erige nos et confirma nos,
Domine, Dominus noster.
Misericordiæ tuæ præveniant iram tuam,
quam admirabile est nomen tuum!
Audi vocem deprecationum nostrarum,
Domine, Dominus noster.
Exaltare propter elevatos misericordiæ tuæ (*Patri-*
quam admirabile est nomen tuum! » *archas*),

Pag. 311.

ר׳ יהודה החסיד. R. Jehuda Hachasid, i. e. *pius*, ex urbe Rensburgiensi (?) oriundus (1), floruit

(1) מרענשפורג, uti habet in frontispicio illius libri exemplar quo usus sum; id verò cujus editionis sit, nescio; nimirùm nec locus indicatur nec tempus, quo typis exscriptum sit.

sæc. XII. Ejus canticum, cujus partem hìc dedimus, inscribitur שיר היחוד h. e. *canticum de unitate* (Dei); argumentum tamen poetici istius operis latiùs patet, ut perlegenti illud constabit.

VOLUMINIS II

PARTIS PRIORIS

FINIS.

INDEX CAPITUM

VOL. II

PARTIS PRIORIS.

NOTÆ MISCELLANEÆ

אבני חפץ

CHRESTOMATHIA

RABBINICA ET CHALDAICA.

אבני חפץ

CHRESTOMATHIA

RABBINICA ET CHALDAICA

CUM

NOTIS GRAMMATICIS, HISTORICIS, THEOLOGICIS,

GLOSSARIO

ET

LEXICO ABBREVIATURARUM,

QUÆ IN HEBRÆORUM SCRIPTIS PASSIM OCCURRUNT,

AUCTORE

JOANNE THEODORO BEELEN,

CAN. HON. ECCL. CATHEDR. LEOD., S. TH. DOCT., IN UNIV. CATH. LOVAN.
S. SCRIPT. ET LINGG. ORIENTALL. PROF. ORD.

VOL. II,

NOTAS MISCELLANEAS COMPLECTENS.

PARS POSTERIOR,

NOTÆ IN SELECTA CHALDAICA.

LOVANII

TYPIS VANLINTHOUT ET VANDENZANDE,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHORUM.

1841.